U ... K GENT

Digitized by Google



MOBILIUM
ET
IMMOBILIUM
NATURA,
Modo Academico & Forenſi
AD
Evidentiorem Juris Statutarii Intellectum
Strictim propoſita;

Auctore PAULO VOET *Juris Prof.*
Ultraj. & Vianenſis Cameræ Senatore.

Nova Editio auctior & correctior.

ULTRAJECTI,
Ex Officinâ JOHANNIS RIBBII, Bibliopolæ. 1714.
Venduntur, BRUXELLIS,
Apud T'SERSTEVENS, Bibliopolas propè Templum
RR. PP. Dominicanorum.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

SOCERO VENERANDO

PAULO REUFFERT,

PAULUS VOET

S. P. D.

OMnes qui in palæſtrâ bonæ mentis exercitati eam ſtudiorum ſuorum ſpem conceperunt, eamque ingenii fiduciam habent, ut ſuos labores orbi litterato placituros ſperent, hunc morem obſervare conſueverunt, ut ſi quid publici juris faciant, anxiè circumſpiciant cui potiſſimum ſuas curas obla-

tas velint. Nec omnes una movet ratio: alios enim impellit beneficiorum à Patronis ſtudiorum munificentiſſimis acceptorum memoria, in quorum remunerationem litteraria munuſcula, chartacea dona, quòd nihil habeant opulentius, lubentes remittunt. Inſtigat alios virorum magnificorum potens favor, quem ſui ingenii partu, oculis benignis expoſito, quando locus tempus & uſus id exegerit, provocare ſatagunt. Quoſdam eo deducit res anguſta domi, bonarum artium ſæpe comes paupertas, dum iis ipſis, quos in literatos benè affectos obſervant, etiam bene merendi ſubminiſtrant occaſionem.

Non-

Nonnullos ſtimulat virorum benè de republicâ meritorum indieſque merentium pietas ſingularis; ad quam dum ſtupent, non poſſunt non eamdem dignis laudibus efferre, & orbi Chriſtiano ad imitationem propalam commendare. Alios denique ſola ratio affectionis eo deduxit, ut perpetuum quoddam extaret amicitiæ ſymbolum, adeoque benevolentiæ atque amoris non intermorituri publicum indicium. Quorum quidem poſtremorum inſtitutum, ſemper & potiſſimum me movit, ut quæ uſurâ lucis frui vellem, non ſine inſcriptione ut plurimum evulgaverim. Neque aliæ mihi unquam rationes pla-

cere potuerunt, ut qui omni modo improbem, quinimo deteſter Epiſtolas illas petitorias, quas infra eorum dignitatem, qui eruditorum virorum turbæ volunt aggregari, ſepoſitas eſſe oporteret. Ut non mihi inveſtiganda vel quærenda fuerit cauſa, quaſi non inventa, vel potius tum affinitatis tum conſanguinitatis contemplatione oblata, cur hæc paucula intra breviſſimum temporis ſpatium compoſita (quod ſatis ſuperque eorum conſcribendorum & editorum indicat occaſio) tibi Socero meo dilecto, inſcripta voluero. Cui & altera accedebat, quod cum tuâ voluntate omnibus ſollicitudinibus publicis ſolutus

lutus eſſe cupiebas, teque jam immunem à Secretariatu (ſit venia dicto) Territorii Schoterlandiæ, à curis Comitiorum Friſicorum, ad quæ anniverſaria per plurimos annos fueras delegatus, quod vitæ ſupereſt tempus lectioni bonorum auctorum impendere deſtinaveris. Cumque in agendis diu verſatus, quid in ipſis rerum argumentis obtineret, in promptu haberes, non dubitabam, quin & mei libelli lectio tibi eſſet placitura, quod etiam quoſdam Friſonum mores, inſuper materias uſu fori receptas examinet. Hos igitur labores eo affectu & animo, quo offeruntur aſpice agnoſce & ſuſcipe; meque interim meoſque

dum

dum vivo, vel etiam hoſce poſt fata tuâ quâ ſoles benevolentiâ complecti perſevera. Vale, & vive diu cum noſtrâ ſocru, cæteriſque amantiſſimis.

Dabam Trajecti ipſis Kal. April. 1666.

DISQUI-

DISQUISITIO JURIDICA DE

Naturâ bonorum Mobilium & Immobilium, ad evidentiorem Juris Statutarii intellectum ſtrictim propoſita.

Cap. I.

1. *Scopus auctoris indicatur.*
2. *Perſtringitur Tenebrio quiſpiam, & vocabula quæpiam in latinitatem vindicantur.*
3. *Methodus ſervanda proponitur.*

1. Cum primitus animum ad illuſtrandam Juris Statutarii materiam applicarem, non credidi me omnibus per omnia & in omnibus eſſe placiturum. Id enim ſi in animum meum induxiſſem, non procul à faſtu,

ſtu, & arrogantiâ ſummâ abfuiſſem; cum ne quidem Deum fontem omnis ſapientiæ limpidiſſimum, hominum inordinatis deſideriis ſemper feciſſe ſatis, animadverterem. Cogitabam inſuper Juriſconſultorum Veterum, quorum in Pandectis Juris noſtri reſponſa ſunt conſpicua, diſſonas circa eoſdem ſæpè caſus fuiſſe opiniones, & ſectarum diverſitatem effeciſſe, ut in multis Proculejani, à Sabinianis, hique ab illis ſeceſſum fecerint. Cumque nonnumquam à ſe ipſo diſſideat ſapiens, à Papiniano idem *Papinianus l. 6. 7. D. de ſerv. export.* Aliter evenire non poterat, quin quandoque inter juris ſtudioſos de eadem re foret contentio.

Hoc tamen dum mea ſcriberem, intendebam, eoque omnes dirigebam conatus, ne quis à me jure merito diſſentire valeret, neve quæ tum fundamenta jeci ad uberiorem ſtatutorum intellectum, in vanum collocata fuiſſe viderentur. Quo an fuerim aſſecutus in illâ parte, quæ diſceptationi noſtræ ſubjacet, ſequentes pagellæ demonſtrabunt. Nam ita mea diſpoſueram, ut ex iis, veluti ex theſibus, variæ fluerent hypotheſes, & tanquam ex præmiſſis concluſiones innumeræ elicerentur. Neque enim materiæ ſtatutariæ, fæcundiſſima novarum formarum mater, quas mores

res

res noſtri indies edere deproperant, ita erat explicanda, ut nihil amplius elucidandum, vel in circumſtantiis decidendum ſupereſſet. Ut non alia mihi mens, non alius fuerit ſcopus, quam ut ad ulteriores cogitationes invitarem viros undiquaque claros; qui ſi eandem mecum ſemitam ineundam eſſe judicarent, mihi gratularer; ſin minus, eo ſaltem nomine gauderem, quod meas curas placidæ diſquiſitioni ſubjicerent, adeoque mihi præberent occaſionem meos conceptus, quos compendiosè propoſueram, paulo latius explicandi. Ut ſi momenta rationum in adverſum directa cum meis æqua judicii lance utrinque trutinata, graviora apparerent, in eorum caſtra, qui à me ſeceſſum facerent, tranſiturus eſſem; ſin minus, ipſi in mea. Quod uti de me confidebam, ita de ipſis ſperare audebam; cum bonarum mentium, & ingenuarum ſit indicina, etiam ſententiam, quam ſemel tutatæ fuerint, rationibus uberioribus victæ, in meliorem commutare. Hæc ipſa laudabilis contentio eſt, hæc juſta æmulatio, hæc pugna fructuoſa, in quâ & qui victor eſt, & qui victori cedit vincit; quod minus probabilem opinionem in firmiorem reformet, & ſaniorem quam antea ſententiam, amplectatur, rejectâ minus

nus probabili. Hunc ipſum emendandi modum amplexus eſt Papinianus, quem in contrarium vocavit Sabini accuratior ſententia. *l. 6. in fin. D. de Serv. export.*

2. Alios quod attinet, qui adlatrant noſtra, qui calumniantur, qui carpunt quæ non capiunt, contemnunt, quæ non intelligunt, nolim equidem mihi cum illis quicquam negotii eſſe, ſaltem cum talibus prolixè contendere non mihi eſt animus. Verborum enim ea foret pugna, non rerum, Grammaticis jure ſingulari tributa, qui vocabula captant, & aucupia curant ſyllabarum, oculos claudunt ad ſapientiæ lucem. Juriſconſulti è contrario ad imitationem Juſtiniani Imperatoris, norunt leges non verbis, ſed rebus ſcriptas, omneſque formulas veterum ſublatas eſſe. *l. 2. in fin. Cod. Comm. de legat. tit. Cod. de formul. ſublat.* & *l. pen. ante fin. Cod. de Conſtit. pecun.*

Veniam tamen daturus eſt Lector Benevolus, ſi in tranſitu Andabatarum more in tenebris cum quopiam mihi ignoto decertem, & ictum ingeram lucifugæ, qui quondam malo more, exemplo malo, cum nihil in bonis haberet opulentius, meum de *Statutorum Concurſu* libellum in ſua Epiſtola bono publico evulgata, de plauſtro

jactis

jaɑ̃tis convitiis impetiit. Is enim cum decretoriis armis certare non auderet, neque ullam juris queſtionem ibidem propoſitam, vel explicatam ad incudem revocare, in unum atque alterum dictum impetum fecit, quod tanquam peregrinum è civitate Romanâ pellendum cenſuit. Non tulit ſcilicet obſcurus homo, ut Juriſconſultus vocabulis eximiis Juriſconſultis uſitatis uteretur, in materiâ maximè conſuetudinariâ explicandâ. Ægrè tulit, quod ſcripſiſſem *bene multos* reperiri; quaſi ea locutio foret inſolens, nec apud auctores probatos occurrat, adeoque redoleat Barbariem. Cum ſi bonos auctores inſpexiſſet, ignorare non potuiſſet, eam uſurpatam fuiſſe Marco Tullio, Horatio, aliiſque tam Oratoribus, quam Poëtis; qui eâ vixere ætate, quâ lingua Latina erat in flore. Ut Latinè dixerit auctor Belli Hiſpanici apud Cæſarem, *adverſarios bene multis vulneribus affectos* fuiſſe; longeque elegantius, quam hic noſter cenſor, qui uſus eſt voce *deſioculi*, à Martiale propoſitâ, & quidem eâ ætate, quâ florem ſuperaverat lingua Latina.

Quinimo non tulit tenebrio, ut qui profitetur Juriſprudentiam loquatur cum Juſtiniano juris noſtri conditore; qui ſi noſtram locutionem condemnaſſet, non eam Juris Inſti-

Inſtitutionibus, quæ latiniſſimæ ſunt, inſeruiſſet. Ita enim loquitur *Juſtinianus* in §. pœnales. Inſtit. de Action. *Pœnales actiones benè multas, ex ſuâ jurisdictione Prætor introduxit.*

Verum neque hâc cenſurâ contentus ad alia *deviavit*, cenſor; hocque verbum ad Barbaros relegandum voluit; quo tamen in participio uſus *Tertullianus in Apologet. c.* 21. *deviantes à diſciplinâ.* Ita enim legitur in *MS. Codic.* Fulvii Urſini, ut notat, *Franciſcus Junius in not. ad d. c* 21. Nec diſplicuit *Apulejo apud quem* 6. *&* 10. *metamorph.* occurrit hæc locutio: *vianti marito.* Quoque magis conſtet, Cenſorem nodum in ſcirpo quæſiviſſe audiat præter Lucanum, Silium Italicum, alioſque, Macrobium, apud quem in ſomnium Scipionis, occurrit vocabulum *Deviaverit.* Ut rectè *Franciſcus Modius novantiq. lection. epiſt.* 72. & *Caſpar Barthius adverſ.* 42. *c.* 10. hoc probum & antiquæ notæ verbum appellet, proque latino habeat.

Verum non patiar amplius mihi remoram injici per hominem cerebroſum, in ejus gratiam ſcribentem, qui paſſim *cerebrinam æquitatem*, id eſt, quæ in ideâ Platonis non in Romuli fæce reperitur, commendat. Ne tamen ægrè ferat, ſi vocabu-

lum

lum *cerebrinum* iterum adhibeam, quo antea in libro de *Statut. Concurſ.* fueram uſus. Non enim intelligebat, neque ſatis percipiebat Ariſtarchus ille rudis, eâ voce *Cerebroſum* non intelligi, verum tales notari Juriſconſultos, qui neglecto juris ſtudio, neglectis certis legibus, omnia in foro ad imaginariam, id eſt *ad ſuam quamdam & cerebrinam æquitatem* revocare ſatagunt; uti loquitur *Anton. Matth. in ſuâ Oratione de Modeſtiâ veterum JCC.*

3. Relictis igitur ſpretis & contemptis nugatoribus, & vitilitigatoribus, ad ſeria me convertam, remque ipſam quam mihi pertractandam aſſumpſi, rectâ aggrediar viâ, hunc ſervaturus ordinem ut prius bonorum nomen explicem, dein eorum diviſiones; denique varias bonorum differentias & affectiones proponam, idque intuitu Concurſus Statutorum inter ſe variantium.

II. CAP.

1. *Quæ ſit generaliſſima* Bonorum *acceptio.*
2. *Etiam nomina & actiones ad bona referuntur.*

3.

3. *Rei & bonorum appellatio æquè latè patent.*
4. *Quæ ſtrictior bonorum appellatio.*
5. *Ea non complectitur feuda.*
6. *Venit tamen emphyteuſis eorum appellatione.*
7. *Ad effectum oppignorationis feuda non ſunt in bonis.*
8. *Nec omnia quæ ſunt in bonis.*
9. *An merces venales?*
10. *An fideicommiſſa?*
11. *An oratio indefinita æquipolleat univerſali, quæritur?*
12. *Omnium appellatione bonorum an veniant æque futura atque præſentia?*
13. *Quæ ſit ſtrictiſſima vocabuli* Bonorum *acceptio?*

1. NOn una circa *Bonorum* vocabulum occurrit difficultas, quæque non niſi juſto volumine ſuperanda foret, ſi non mihi animus eſſet, eam tantum attingere, & penetrare, quæ meo inſerviat inſtituto.

Huic adjuvando ſuffecerit, ſi paucis præmiſero, quid *Bonorum* veniat nomine. Et qui-

quidem generatim ea *Bonorum* complectimur appellatione quæ ſunt vel eſſe intelliguntur, corporalia, incorporalia, mobilia, immobilia, ſeque moventia. *l. bonorum. D. de verb. ſignif. l. tutor.* 16. §. *fin. D. de pignor. actione. l. lex vectigali.* 31. *D. de Pignor. Pinell. p.* 1. *ad rubric. Cod. de Bon. Matern. n.* 18. *Merlin.* 2. *de Pignor. tit.* 1. *quæſt.* 29. 44.

Etiam quorum habemus hypothecam, quæ tenemus, quæ bonâ fide poſſidemus. *l.* 19. *l.* 20. *D. de Petit. hæred. Alciat. in l. Princeps* 21. *D. de verb. ſignif. Tiraquell. in l. ſi unquam. verb. bona. Cod. de revoc. donat.*

Bonorum appellatione inſuper veniunt fructus & in quantum bonorum ſunt acceſſiones, & in quantum à fructuario peti poſſunt. *l.* 3. §. *nonnunquam. D. de uſur. l.* 18. §. 1. *l.* 32. *D. ad Trebell. l.* 4. *D. de Uſufr. tit. D. ſi uſufr. petat.* venit pecunia. *l.* 1. *Cod. de uſufr. ibique DD. Neguz. de pignor. p.* 2. *membr.* 2. *n.* 18. *Bertaz. clauſ. inſtrum.* 12. *Gloſſ.* 2. *n.* 4.

Venit univerſa hæreditas. *l. licet. ibique Bartol. in* 3. *not. Bald. in ult. not. Cod. de pact.* ſi modo fuerit agnita vel adita; quod jacens hæreditas nullius eſſe dicatur. *l.* 1. *in med. D. de rerum diviſ. Bald. in l. pupillorum; poſt princ. Cod. de repud. hæred.*

Sicuti nec jus adeundi nec conditionalia nomina, quæ in ſpe conſiſtunt, bonorum appellatione concluduntur. *l. facere.* 28. *D. Solut. Matrim. DD. in l. Cajus. D. de leg.* 2. *Bald. in l.* 1. *q.* 10. *in* 16. *col. verb. ſexto arguo. Cod. qui admitti.*

2. An ergo pura nomina, petitiones vel actiones generali bonorum ſenſu comprehendentur? Ita ſtatuendum videtur quod ea bonis quandoque adnumerentur, quæ ſunt in actionibus, petitionibus, & perſecutionibus. *l. Princeps bona.* 21. *l. bonorum.* 49. *D. de verb. ſignif. Bartol. in l. uxori. l. fin. D. de uſufr. legat. & in l. quintus.* §. *argento D. de aur. & argent. legat. Caſtrenſ. conſil.* 393. *Pinell. ad rubric. Cod. de Bon. Matern.* 1. *n.* 8. *Bertaz. in repet. l. ſi quis major. n.* 116. *Cod. de tranſact. Gedd. ad d. l.* 49. *ibique jura & DD. D. de verb. ſignif.*

3. Quo ſenſu etiam *rei* & *bonorum* appellatio æquè latè patent, atque in generali ſignificatione, omnia enumerata continent. *l. rei appellatio.* 5. *l.* 6. *D. de verb. ſignif. Pinell. in rubric. Cod. de Bon. Matern. p.* 1. *n.* 5, 6.

Id quod extra omnem dubitationis aleam conſtitutum eſt, cum adjectum eſt pronomen *meum*, *tuum. l. meorum.* 91. *D. de verb. ſignif. l.* 14. §. *fin. cum ll. ſeqq. D. ad*

Trebell.

Trebell. Bartol. in l. quintus. §. argento. n. 5. D. de auro & argent. Alciat. & Gadd. ad d. l. 91. D. de verb. ſignif. vid. Pinell. in prolegom. part. 1. rubric. Cod. de bon. matern. n. 8.

In propriâ tamen & ſtrictiori ſignificatione bonorum vel rerum appellatione non veniunt nomina & actiones; ut quæ rebus corporalibus & incorporalibus opponuntur, & ſeparatum ab iis juris objectum conſtituunt. §. *fin. Inſtit. de jure natur. gent. & civili.*

Sicuti non veniunt, quando *bonis* adjectæ ſunt voces, *mobilia* vel *immobilia*, quæ corporalium rerum ſunt differentiæ. §. 1. *Inſtit. de rebus corpor. & incorpor. ibique DD. l. 15. §. 2. & 8. D. de re judic. l. 7. §. in peculio. D. de pecul. Bartol. in l. ſi convenerit. §. 2. in princ. D. de Pignor. action. Neguzant. de Pignor. part. 2. membr. 2. n. 8. 9. Menoch. 4. præſ. 142. n. 19. 20. Bertachin. in repertorio. verb. bonorum appell. p. 311. Bertazol. de clauſ. inſtrum. clauſ. 12. gloſſ. 2. n. 3. & clauſſ. 27. gloſſ. 6. Bacchov. 1. de Pignor. 6. n. 1. & ad Treutl. 2. vol. 1. diſp. 1. theſ. 2. litt. D.*

Neque inſuper veniunt, quando *bonorum* factâ mentione, relatio ad certum locum adjecta eſt: quoniam nomina & actiones loco non circumſcribuntur. *l. Gajus. 86. in*

princ. D. de leg. 2. Tiraquell. in l. ſi unquam. verb. bona. Cod. de revoc. donat. Pinell. ad rubric. Cod. de bon. matern. n. 10. 11. *& ſeqq. ibique DD. & limit.*

4. De generali *bonorum* appellatione pauca protuli; de ſtrictiori bonorum ſignificatione etiam quædam adjiciam, quo ne quidem quæ aliter ſunt in bonis, ad aliquem juris ſtatutarii effectum *bonorum* appellatione circumſcribuntur.

5. Unde ſi ad mores, ſi ad locorum conſuetudines oculos & animum flectamus, in generali *bonorum* alienatione, causâ dotis, communionis conjugalis, non veniunt feuda, licet veniant feudorum fructus. *c. Imperialem. in princ. ibique DD. de prohib. feud. alien. per Frederic. Curt. de feud. part.* 4. *n.* 95. *Bertazol. de Clauſ. Inſtrum. clauſ.* 12. *gloſſ.* 2. *n.* 4. *Grot.* 2. *Introd. Jur. Holl. p.* 11. *n.* 8. *Neoſt. de Pact. anten. obſ.* 14. *& cur. Holland. deciſ.* 5. *Groenw. in princ. inſtit. quibus alien. lic. vel non. diſſ. ex parte Pinell. in rubric. Cod. de bon. matern. n.* 21. 22. *diſſ. Burgund. ad Conſ. Flandr. tract.* 3. *n.* 19. *Goris adverſ. ſubceſ. c.* 15. *n.* 3. 4. *Coren obſ.* 32. *n.* 21. *vid. Sand. ad conſuet. feud. Gelr. tract.* 1. *tit.* 2. *c.* 3. *n.* 5. *Chriſtin. ad Mechlin. tit.* 10. *art.* 6. *&* 6. *deciſ.* 27. *n.* 4.

6. Non idem tamen de fundo vectigali,

de

de bonis emphyteuticis inferendum erit, ſi jus Romanum intueamur; licet ea quorundam locorum uſibus in quibuſdam caſibus feudalibus bonis comparentur. *l.* 16. §. *fin. D. de pignor. action. Clarus.* §. *emphyteuſis q.* 18. *vid. Bald. in auth. quas ruinas. Cod. de ſacroſ. eccleſ. Tiraquell. de retract.* §. 1. *Gloſſ.* 3. *n.* 1. 2. *Bertachin. in repertorio verb. bonorum appellatione. Gail.* 2. *obſ.* 25. *n.* 6. *Pinell. part.* 1. *rubris. Cod. de bon. matern. n.* 20. 21. *Bertazol. de clauſ. inſtrum. clauſ.* 12. *gloſſ.* 2. *n.* 4. *Neguz. de pignor. p.* 2. *membr.* 2. *n.* 28.

7. Verum an ad effectum oppignorationis appellatione bonorum venient feuda, quæ debitor vaſallus poſſidet? Non veniunt; quod alienatio feudi, cujus etiam ſpeciem faciunt oppignorationem vaſallo ſit interdicta irrequiſito Seniore, id eſt directo feudi domino. *c.* 1. *de prohib. feud. alien. per Frideric. arg. l.* 1. §. 2. 7. *quæ res pignor. oblig. poter. Tiraquell. de retract.* §. 1. *gloſſ.* 3. *n.* 4. 5. 6. *& ſeqq. ibique DD. Curtius de feud. p.* 4. *num.* 95. *Mynſing.* 6. *obſ.* 30. *Gail.* 2. *obſ.* 2. *obſ.* 25. *Vultej.* 1. *feud.* 10. *num.* 42. *Neguzant. de pignor. part.* 2. *membr.* 2. *n.* 42. *Rauchb.* 2. *quæſt.* 23.

8. An ergo ad effectum oppignorationis *omnium bonorum* nomine ea comprehenden-

 tur,

tur; quæ ſunt in bonis? Non videtur; quod neceſſitas vel privata vel publica, vel affectio introducat hanc præſumptionem, debitorem quædam obligare noluiſſe. *l.* 6. 7. 8. *D. de pignor. & hypothec. Salicet. in l.* 1. *Cod. quæ res pignor. oblig. Neguz.* 2. *de pignor. membr.* 2. *num.* 34. 37. *Treutl.* 2. *vol. diſp.* 1. *theſ.* 2. *lit. E. Bacchov. de Pignor.* 7. *n.* 1. *Sand.* 3. *deciſ.* 12. *def.* 9. *vid. tamen de moribus Mornac. in l.* 6. 7. *& ſeq. D. de Pignor.* & *Groenweg. ad dd. ll.*

9. Quemadmodum nonnulli cenſent bonorum omnium appellatione in ordine ad hypothecam, non contineri merces, res venales, ſi ſpectemus debitorem, qui non eſt negociator.

Licet hic alii & rectius diſſentiant, *vid. l.* 34. *in princ. D. de pignor. l. pediculis.* §. *idem cum quæreretur.* 4. *D. de aur. & argent. leg. Covarr.* 2. *reſol.* 5. *n.* 2. 3. *Pinell. rubric. Cod. de bon. matern. p.* 1. *n.* 40. *Neguz. de Pignor. p.* 2. *membr.* 2. *n.* 14. *vid. Alex.* 5. *conſil.* 118. *n.* 5. *Alciat. in l. is qui natus.* 214. *in fin. D. de verb. ſignif. Pinell. in rubric. Cod. de bon. matern. p.* 1. *n.* 33. *& ſeqq. Bertaz. de clauſ. inſtrum. clauſ.* 12. *gloſſ.* 2. *n.* 4. *Zans de diviſ. bon. libr.* 4. *c.* 11. *n.* 85. *Stracham de Mercat. tit. mand. Menoch.* 1. *præſ.* 137. *Treutl. diſp.* 1. *Pand. vol.* 2. *theſ.* 2. *litt. D. Bacchov.* 1. *de pignor.* 6. *n.* 8.

10. Indubitati tamen juris eſſe videtur bona fideicommiſſaria, ſeu quæ reſtitutionis oneri ſubjacent, in omnium bonorum oppignorationem non venire. *l. fin.* §. 2. 3. *Cod. Comm. de legat. & fideic. l. fin. Cod. de rebus alien. non alienand. Clarus* §. *feudum. quæſt.* 31. *n.* 10. *Teſſaur. deciſ.* 193. *Bertazol. de clauſ. inſtrum. clauſ.* 12. *gloſſ.* 2. *n.* 4. *poſt Afflict. deciſ.* 111.

11. Occaſione præmiſſorum ulterius inquiram; num qui *bona* hypothecæ ſubjecit, omnia videatur obligaſſe? Difficultas in eo conſiſtit, num quæ oratio eſt indefinitè prolata, non additâ vel expreſsâ notâ univerſali vel ſingulari, *omnia*, *quædam*, æquipolleat univerſali? Reſp. Certi juris eſt, & apud Logicorum filios receptum, orationem indefinitam in materiâ neceſſariâ univerſaliter intelligendam eſſe. Ut qui dicit *hominem eſſe animal*, *velit*, *omnem hominem eſſe animal*. Verum quando verſantur in materiâ contingenti, quæ aliter ſe habere, vel evenire poteſt, tunc indefinitam orationem particulari exæquari ſtatuunt; idque vi indefinitæ orationis, quam certum eſt ab univerſali ſeparari, & ex naturâ rei, quæ eâ comprehenditur. Ita qui infert bonos advocatos eſſe malos Chriſtianos, non omnes ſed quoſdam eſſe, tales

idque

idque ſæpe accidere, aſſerit. *vid.* 2. *Tim. cap.* 3. *verſ.* 2.

Non aliter atque leges concipiuntur indefinitè, quia feruntur de iis, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ut plurimum, eveniunt. *l.* 3. 4. *D. de leg.* Et quando Principem legibus ſolutum ſtatuit *Ulpianus in l.* 31. *D. eod.* nec omnem complectitur Principem, ſaltem non omnes leges, ut propterea vocabulo indefinitè poſito utatur.

Accidit tamen quandoque ut per benignam interpretationem, quod aliter vi orationis non eveniret, oratio indefinita univerſali æquipararetur. *l.* 8. *D. de aur. & arg. leg. l. ſi pluribus* 44. *D. de leg.* 2. *l. Cæſar. D. de Publican. l. ſi ſervitus.* 22. *D. de ſerv. præd. urban. Bartol. in d. l. ſi pluribus. n.* 4. *D. de leg.* 2. *Alexand.* 2. *conſil.* 66. *n.* 3. *&* 4. *conſil.* 26. *n.* 4. *Cravetta conſil.* 942. *n.* 8. *Merend. vol.* 2. *controv. libr.* 12. *c.* 34. *Theodor. Reinckinck de retract. conſanguin. quæſt.* 3. *in quibus rebus jus protim. locum habeat. num.* 3. *& ſeqq. Diſſ. Merlin.* 2. *de Pignor. tit.* 1. *quæſt.* 44. *n.* 3.

12. Verum utrum *omnium bonorum* appellatione, non adhibitis temporis circumſtantiis veniant & futura & præſentia, multum inter *DD.* ambigitur? Si verſemur in contractu obligatorio bonorum omnium gene-

generali, jure Pandectarum, contineri videntur præſentia tantummodo, non etiam futura. *arg. l. 7. §. 1. D. qui potior. in pignor. l. 6. in princ. l. 15. §. 1. D. de pignor. & hypothec. l. 7. D. de aur. & arg. leg.* Ut futurorum ſit facienda mentio, & quidem expreſſe; quem ſenſum attribuo *l. 15. in princ. D. de pignor. & hypothec.*

Juſtinianus tamen Imperator, quo in omnem eventum creditori melius eſſet conſultum, id primitus introduxiſſe videtur, ut generali omnium bonorum obligatione etiam futura continerentur. *l. fin. Cod. quæ res pignor. vid. Angel. in l. 1. D. de Pignor. Salicet. & DD. ad d. l. fin. Neguzant. de Pignor. part. 2. membr. 2. n. 1. Bertazol. in clauſ. inſtrum. clauſ. 12. gloſſ. 2. n. 3. & gloſſ. 3. Mejer. 1. de pignor. 9. n. 2. Philibertum Bruſſelium de Condit. libr. 4. tit. 1. Bacchov. 1. de Pignor. 5. n. 2. Mudæum ad l. 1. n. 5. D. de Pignor. & hypothec. Perez. Cod. quæ res pignor. n. 3.*

Quod ſi verſemur in donationis materiâ, vel etiam ultimarum voluntatum, ſtatuendum videtur, temporis non adjectâ determinatione, præſentia non futura contineri; idque vi & naturâ diſpoſitionis, quæ eſt temporis præſentis. Unde ſi dixerit teſtator, hæres *veſtem meam, argentum meum dam-*

damnas eſto dare, præſens tempus intelligetur, ſi aliud comprehenſum non fuerit. *l.* 7. *D. de auro & argent. l.* 25. §. 6. *D. eod. vid. l.* 85. *D. de leg.* 3. *Molin.* 1. *conſuet. Pariſ. gloſſ.* 5. *n.* 17. *Deciſ. Capell. Tholoſ.* 19. *Gothefred. in not. ad d. l.* 7.

Aſt ſi teſtator omnia ſua bona reliquerit, non ea tantum oſtendit, quæ cum diſponeret haberet, verum etiam quæ habebat mortis tempore. *arg. l.* 21. & *ſeq. D. de leg.* 1. *l. peculium* 65. *D. de leg.* 2. *l. pen. D. de inſtr. vel inſtrum. l. pecuniæ.* 178. *D. de verb. ſignif. vid. Mantic.* 3. *conj. vol.* 11. *num.* 13. *Menoch.* 4. *præſumpt.* 127. *num.* 26.

13. Poſt ſtrictam *bonorum* acceptionem ſupereſt ut explicetur, quid bonorum veniat appellatione, ſi ſtrictiſſimè vocabulum accipiatur. Et dicendum eſt *bonorum* ſignificatione ea contineri quæ nos beant, id eſt beatos faciunt, unde bona appellata. *l. bonorum* 49. *D. de verb. ſignif.* Quæ noſtra ſunt cum effectu, quia noſtra manſura, quorumque commoditatem ſumus habituri.

Paria enim cenſentur noſtrum non eſſe, vel utile nobis non eſſe, vel nobis ereptum iri. *arg. l. qui ſibi.* 33. *in princ.* & §. 1. *l. ſi rem meam* 20. *l. etiam.* 27. *D. de ſolut. l. ſi*

quis

quis rem aliam. 46. *D. eod. l. ſi hominem.* 69. *D. eod. c. inter corporalia.* §. *ſicut. de tranſlat. Epiſc. gloſſ. in l. fin. Cod. de Plagiar.*

Quo nomine rerum & bonorum diverſa eſt appellatio, ſic ut à *rebus bona* ſeparentur. vid. *l. rei appellatio. D. de verb. ſignif. Bertaz. de clauſ. inſtrum. clauſ.* 41. *gloſſ.* 5. *n.* 2. *&* *clauſ.* 12. *gloſſ.* 2. *n.* 4.

Unde nec ea cenſentur eſſe bona, quæ plus incommodi quam commodi nobis adferunt vel ſunt allatura. *l. propriè bona. D. de verb. ſignif. Bertazol. de clauſ. inſtrum. clauſ.* 12. *gloſſ.* 2. *n.* 2. *& ſeq.*

Nec quæ pignori data, ſi nulla ſuperſit ſpes luitionis, bonorum comprehenduntur appellatione. *l. qui habebat in princ.* ibique *gloſſ.* & *Bartol. D. de leg.* 3.

Multo minus quæ bona ſunt conditionalia. *l. non ad ea. D. de cond. & demonſtr.* niſi tamen eſſent debita ſub conditione poteſtativâ. *l. in facto,* 60. §. *Fiſcus. D. eod.* vel etiam ex contractu; quo caſu conditio ſpem debiti inducit. §. 4. *Inſtit. de verb. oblig.* quod eſt in ſuſpenſo, donec ea exiſtat.

Idem quod *DD.* in bonorum admittunt confiſcatione. Quód Fiſcus in hiſce & ſimilibus ejuſdem juris cum privatis cenſeatur. Ut propterea jus futurum, jus con-

ditionale

ditionale quando ſpes eſt debitum iri, in bonorum veniat publicationem, ſi ex capitali crimine, quod ſecum trahit confiſcationem reus fuit condemnatus. *d. l. in facto.* 60. §. *Fiſcus. D. de condit. & demonſtr. l. inter ſocerum* 26. §. *fin. D. de pact. dotal.* ibique *Baldus. Ludov. Roman. ſingul. verb. conditio. verb. dicit gloſſ. Gothofred. in not. ad d. l.* 26. *vid. Bertachin. in repertorio verb. bona unius. n.* 11.

Hinc etiam ſi *bona* univerſaliter ſint tranſlata, non intelliguntur alia, quam quæ ſuperſunt, ſoluto debito, niſi tamen per Principis reſcriptum fuerint tranſlata. *l. Princeps bona. D. de verb. ſignif. ibique DD. l. non poſſunt.* 11. *D. de jure Fiſci. l. fin.* §. *ſin autem as alienum. Cod. de bonis quæ liber. Vaz. Barboſ. Princ. & loc. comm. ad litt. B. num.* 7.

Sicuti in ordine ad *l. Falcid.* ea demum dicuntur eſſe bona, quæ ſuperſunt, vel quæ noſtra ſunt remanſura ære alieno, pretiis ſervorum manumiſſorum, & funeris impenſâ deductâ. Sicuti nec quicquam à debitore exigendum eſt, niſi præcipiat quas in rem fecit expenſas. §. *fin. Inſtit. de l. Falcid. l.* 8. §. *quarta. D. de inoff. teſtam. l. ſi à domino.* 36. §. *fin. & ll. ſeqq. D. de petit. hæred. l. ſubſignatum.* 39. *D. de verb. ſignif.*

l. mu-

l. mulier. 72. *D. de jure dot. vid. Bartol. in l. quærebatur. num.* 2. *notab. D. ad l. Falcid. Specul. de oblig. & ſolut.* §. 1. *Gedd. ad l. bonorum. num.* 1. & 11. *D. de verb. ſignif. vid. Hilliger. ad Donell.* 4. *comm.* 5.

Cap. III.

1. *Variæ ſunt jure civili bonorum diviſiones; aliæ tamen moribus admiſſæ.*
2. *Quid ſit immobile.*
3. *Immobile qui aliter appelletur.*
4. *Deo rerum mutationes ſubſunt.*
5. *Non legiſlatori terreno.*
6. *Non poteſt Princeps vocabulorum uſum immutare.*
7. *Poterunt tamen ad aliquem juris effectum res inter ſe miſceri, vel exæquari.*

1. QUanquam in jure noſtro multæ ſunt bonorum vel rerum diviſiones, de quibus agunt interpretes ad *tit. Inſtit. & D. de rerum diviſ. & ad tit. Inſtit. de rebus corpor. & incorpor. & ad l.* 9. *D. de rebus credit. l.* 72. 74. *D. de verbor. oblig.*

oblig. Donell. 4. *comm.* 1. *ibique Hilliger. Petr. Gregor. Tholoſ. Synt. juris univ. libr.* 1. *c.* 1. Etiam de moribus quædam receptæ, quæ jure civili erant incognitæ, quales ſecundum quoſdam ſunt earum rerum, quæ vel hæreditariæ, vel adquiſitæ dicuntur. *Mevius ad Lubecenſ. tit.* 10. *artic.* 6. *libr.* 1. *Goris ad conſuet. Velav. cap.* 13. *art.* 4. *gloſſ.* 1. Itidem avitæ, gentilitiæ, vel patrimoniales. *Matth. Berlich. part.* 2. *concluſ.* 13. *n.* 5. *Theod. Reinck. tract. de jure conſ. quæſt.* 3. *In quibus rebus jus protimiſ. locum habeat. n.* 10. Inſuper feudales vel allodiales. *Budæus ad l. Herennius. D. de evictiou. DD. de feudis. Hottom. in verb. allodium. Feud. libr.* 2. *tit.* 23.

Celebratiſſima tamen ea rerum eſt diviſio, quæque maximum in concurſu ſtatutorum variantium habet uſum, quod quædam ſint *mobiles*, quædam *immobiles*. Et licet de jure Romano non omnia quæ ſunt, ad mobilia vel immobilia referantur, qualia erant non quidem incorporea, ſed incorporalia, quæ intellectu non ſenſu percipiuntur, ut ſunt hæreditas, obligatio, & ſervitus, utraque tam realis quam perſonalis. §. 1. *Inſtit. de rebus corpor. & incorpor. l.* 1. §. 1. *D. de rerum diviſ. l.* 7. §. 4. *D. de pecul. l.* 50. *D. petit. hæred. l.* 15. §. 8.

11.

11. *D. de re judic. l. unic. §. 7. Cod. de rei uxor. action. Cujac. conſil. 23. Vall. 4. elegant.* 98. Quia tamen jure conſuetudinario res omnes immobilium vel immobilium ordinem aſſumunt, propterea rerum diviſio in mobiles vel immobiles hic utramque faciet paginam, adeoque noſtri tractatus erit contentum.

2. In cujus diviſionis explicatione primum in id quod dicitur immobile inquirendum erit. Propriè loquendo *immobile* appellatur quod fixum eſt, quod ſtabile; nec de loco in locum transferri poteſt, ſaltem non eſt aptum transferri. Si naturas corporum naturalium intueamur, eſt eorum affectio, non tamen omnium. Quædam enim naturaliter ad movendum ſunt deſtinata, quæ principium motus intrinſecum continere dicuntur, id eſt, quod de ipſorum eſt eſſentiâ. Sic ut non per vim vel aliunde ab aliquo quod extra rem eſt, licet forte intra ſubjectum contineatur, moveantur, licet forte ad movendum ejus occaſione impellantur. Quædam deſtinata ſunt ad quieſcendum, quorum alia tamen ab externo principio per vim de loco in locum transferri poterunt, alia non item.

Cumque res demum corporales in ordinem mobilium vel immobilium transferantur,

tur, ſi accuratè loquamur, ſequitur ad res immobiles Deum non referri; licet alio ſenſu dicatur ſolius eſſe Dei, eorumque qui Deo proximi ſunt, *non moveri*. Id eſt, conſtantiæ nomine, & invariatæ voluntatis intuitu, decreti contemplatione; quod ſemper eſt firmum fixum & ſtabile, etiam reſpectu eſſentiæ divinæ, quæ nec in melius, nec in deterius, nec in idem transformari vel tranſmutari poteſt, rectè dictum eſt, id ſoli Deo competere, quod ſit immobilis, ſeu immutabilis.

Et quamvis quæ Juriſconſultis & naturalium rerum ſcriptoribus immobilium ordini adſcribuntur, qualia ſunt prædia, res corporales immobiles, de loco in locum non transferantur, neque aliquo motu recto vel obliquo neque ullo alio ferantur ordinario; quo ſenſu ſacris litteris congruenter (in quibus nec fallit Sanctus Spiritus, nec fallitur, licet de rebus naturalibus agatur) terra dicitur ſtabilis & immota, idque reſpectu ſolis, qui circum eam ut fixam movetur: attamen quæ immobilia ſunt corpora ſuo modo, caſu quo moveri, id eſt commoveri poterunt. In quibuſdam enim mundi regionibus terræ motu ædificia contremiſcunt, quaſſantur inſulæ, promontoria vento, vel ſpiritu quo flatu-

flatu lento intra terræ cavernas, & concavitates recepto, concutiuntur, ager facto hiatu ſeu chaſmate concidit, ſaltem magna ejus pars quandoque aquarum mole ſorbetur. Quod quia infrequens eſt & inſolitum, ex inopinato eveniens ad θεȣ̃ βίαν, ſeu vim fatalem refertur, cujus rationem non habent legiſlatores, ad ea quæ frequenter & facilè eveniunt ſuas leges accommodantes. *l.* 3. 4. 5. *D. de legibus.*

3. Et quoniam quæ immobilia appellantur fixa ſunt, & ſtabilia corpora, qualia ſunt prædia, ut fundus, & quicquid ei inædificatum; ideo hæc pro ſynonimis ſunt habita, res immobiles, vel res ſoli. *l. à divo Pio.* 15. §. 2. *D. de re judicat.* Quibus merito adjeceris res ſuperficiarias, quia ſuperficiei ſunt impoſitæ, ut ædificia in conducto ſolo extructa, quæ propterea ſoli domino jure dominii cedunt. *l.* 3. §. 15. *D. de vi & de vi armat. l. fin. D. de ſuperficieb. Mantic.* 9. *de conject. ultim. volunt. tit.* 3. *num.* 1.

Quæ bona ſecundum mores & conſuetudines Belgarum appellantur, VASTE, LIGGENDE, ONROERENDE GOEDEREN. Quod ſi jura ſpectemus Normannorum antiqua, illi immobiles poſſeſſiones *fœdum* appellabant, ſicuti mobiles è contrario *Ca-*

tallum nuncupabant. Unde fortè vox Anglica derivata, *Cattel*, Belgis, VEE, HAVE. Quia ut plurimum magna ſi non maxima bonorum pars in rebus ſe moventibus conſiſtebat, cum quiſque ſuo contentus ſuis bobus paterna rura coleret. *Richard. Zouchæus deſcript. jur. & judiciar. tempor. ſecundum Conſuet. feud. & Normann. p.* 1. *ſect.* 5.

4. Præmiſsâ compendioſâ naturæ immobilium explicatione, non immerito hic inquiſieris, num quiſpiam immobilium naturam immutare valeat? Reſp. quandoquidem rerum eſſentiæ nemini niſi Deo ſubſunt, cui ſoli ut Auctori & Conditori univerſi ſuam debent originem, & hoc ipſum quod ſunt; etiam Dei ſolius erit, naturas earum tollere, ſi ejuſdem abſolutam ſpectemus potentiam, ſemoto omni decreto. Ut qui inſuper habitis differentiis facilitatis & difficultatis, poteſt è lapidibus facere panes, etiam filios Abrahæ.

Si tamen ordinariam divinam contemplemur potentiam, habito reſpectu ad Dei decretum, ſingularum rerum naturæ ſunt in ſe invariabiles. Nam quia voluit per decretum hominem eſſe animal rationale, & brutum ſenſu rationis carere, efficere non poterit ex hypotheſi ſui decreti, vel ſtante tali decreto, ut ille ſit brutalis naturæ particeps,

ticeps, hoc intellectus & voluntatis fiat capax. Quo ſenſu à Sapientiæ amatoribus rectè & verè ſtatutum eſt, eſſentias rerum immutari non poſſe, earumque definitiones eſſe veritatis æternæ.

5. Non igitur legiſlator mundanus, ne quidem ſupremus, quiſquis ille ſit, vel Populus, vel Princeps, vel Senatus, ſuâ legiſlatione naturalia jura unquam immutabit: ut quæ immota firmaque divinâ providentiâ inter homines conſtituta, permanent. §. *pen. inſtit. de jure natur. gent. & civil.* §. *fin. inſtit. de legit. agnat. tutel.* Quæ ipſa ratio eſt, quod cum de naturâ uſusfructus in objecto ſeu materiâ tranſmutandâ ageretur, atque antea nonniſi eorum corporum fuiſſet uſusfructus, quæ uſu non conſumuntur; lubenterque teſtatores etiam in rebus fungibilibus eum conſtituiſſent, tantum Senatui placuerit, ut fungibilium, quorum uſus in abuſu conſiſtit, non verus, ſed quaſi uſusfructus conſtitueretur: neque enim Senatus verum in iis uſumfructum conſtituere intendebat, *quia non poterat*. §. 2. *verb. ergo Senatus. inſtit. de uſufr.*

6. Quid quod nec Princeps Romanus, nec Populi Senatus vocabulis ſuam vim auferre, eorumque ſignificationem immutare valeat. Licet enim hominum voca-

bula (ut ſi fundus Cornelianus poſtmodum appelletur mutato domino Sempronianus) ſint mutabilia, ipſa tamen appellativa, quæ rerum eſſe dicuntur, pro immutabilibus habentur. *l.* 4. *D. de legat.* 1. *l.* 2. *in fin. Cod. Comm. de legat.*

Hinc etiam aſſerente *Ulpiano in d. l.* 4. ſtultius nihil cenſeri poteſt, quam ſi quis veſtis appellatione argentum velit contineri, aut vice verſa. Cum quæ vocabula communi hominum uſu, communi populi conſenſu, rem certam deſignant, ad lubitum Titii vel Mævii, in cujus arbitrio non erat uſus vocabulorum, non debeant rem longè diverſam à priori ſignificare. Neque enim quiſpiam, niſi Barbarus eſſe velit, & non intelligi, exiſtimandus eſt rem expreſſiſſe, vel quicquam dixiſſe, cujus non ſuo nomine ſit uſus. *l.* 7. *in fin. D. de ſupell. legat.*

Multo itaque minus, ſiquidem argumentum procedat à majori ad minus ſecundum *Vaz. Barboſ. princ. & loc. comm. litt. A. num.* 185. Legiſlator rem immobilem in mobilem, transformabit, vel hanc immobilem faciet; ſicuti rei immobilis appellatione, eam quæ mobilis eſt complecti nequit. Ut Generalis ſit regula, rerum eſſentias, etiam rerum vocabula abſoluto le-

giſlatoris

giſlatoris Imperio non eſſe ſubjecta, per *ll. all.*

7. Si tamen juris varios tum rerum mobilium tum immobilium intueamur effectus, id inficiari non poterimus, quin quod eſt immobile habitâ ratione quorundam adjunctorum externorum, contemplatione quorundam effectuum, mobili comparetur, quodque eſt mobile immobili eodem modo exæquetur. Non aliter atque legatorum & fideicommiſſorum rerum ſingularium, una eademque facta dicitur natura, adeo ut nulla amplius inter ea ſit differentia. Non quod Imperator Juſtinianus idem cum legato fecerit fideicommiſſum, ſed exæquaverit, ὁμοιότητα, non ἰσότητα, affectando, & procurando. §. 3. *inſtit. de legat.* Idem quod præſtitit ex parte agnatorum & cognatorum, dum in ordine ad tutelam legitimam, ad ſucceſſiones ab inteſtato, eorum ſuſtulit differentiam; ut omnes pariliter ad tutelam, ad hæreditatem ſi æquè proximi, admittantur. Nec tamen poſt *Nov.* 118. *c.* 4. effecit Imperator, neque enim hoc voluit vel potuit, ut qui mihi eſt cognatus factus ſit agnatus, vel qui per fæmininum jungebatur ſexum, per maſculinum mihi in poſterum foret conjunctus. Ad quæ omnia cum non advertant ſatis,

quidam juris doctores, civilis ſcientiæ magiſtri, quibus virtus, & doctrina in linguâ maximè ſita eſt, eos non uno nomine in materiam impingere ſtatutariam, ex ſequentibus colligere licebit.

CAP. IV.

1. *Quot modis quædam dicantur immobilia?*
2. *Quædam naturâ vel arte vel acceſſione, ſunt immobilia, ut fundus, ædificium, mola, Torcularia, dolia, columbaria, fructus, arbores.*
3. *Domo divenditâ, an hortus ſit divenditus?*

1. QUæ immobilium ordini ſunt adſcribenda, ea non unâ finitione comprehendi poterunt. Licet enim generali nomine immobilium contineantur, attamen ſi naturas ſingulorum penitius introſpiciamus, aliter atque aliter de ſingulis generibus erit judicandum.

Quædam enim naturâ ſunt immobilia, quædam interveniente artificio, vel operâ & induſtriâ hominum immobilia ſunt effecta,

cta, quædam ratione acceſſionis ſunt talia, quædam denique deſtinatione in immobilium chorum aſſumuntur.

2. Immobilia naturâ ſunt fundus, agri, arva, prata, horti, pomaria, inſulæ, ſylvæ maxime ſi arbores contineant grandiores. *l.* 27. 60. 115. 166. 198. 211. *D. de verb. ſignif. Tiraq.* §. 1. *de retract. gloſſ.* 4. *& de natatilibus inſulis gloſſ.* 7. *n.* 121. Ex arte vel interveniente hominis operâ immobilia facta ſunt domus vel ædificia. *l. ſi domus. D. de leg.* 1. *l. lex quæ tutores.* §. *nec verò domum. verb. ergo & domus. Cod. de admin. tutor. Alberic. in diction. verb. ædes. Alciat. in l. fundi appell.* 211. *D. de verb. ſignif.*

Neque obſtat *l. ita autem depoſitioni.* 5. quæ aliis incipit quidam decedens. §. *uſque adeo.* 9. *D. de admin. tutel.* Quoniam ibidem rei mobili comparatur domus, ad illum juris effectum, quod tutor jure D., eam ſine decreto alienare potuerit; forte ſi periculo vel incendii vel inundationis ſubjaceat. *Gloſſ. in d. l. Bertazol. de clauſ. inſtrum. clauſ.* 19. *gloſſ.* 3. *n.* 3. 4. 5.

Idem quod de domibus exemptilibus, quæ facile de loco in locum transferri poterunt, ſtatuendum erit, de quibus *DD. in l.* 1. §. *planè ſi quis. D. de vi & de vi armat.*

mat. l. Titius. 60. D. de adquir. rerum domin. Choppin. 1. *de moribus Pariſ. tit.* 1. *n. fin. & tit.* 2.

Ex arte inſuper immobile factum eſt molendinum, ſive bannarium ſit, uti appellant, Belgis DWANCK-MOLEN, ſive non. Etenim terræ ſive ſolo ſtipitibus in terrâ defoſſis infixum eſt, perinde atque ædificium, quod eâ mente & intentione ibidem ædificatur, ut ibi ſit perpetuo. *Hering. de molend. q.* 8.

Columbaria itidem in numerum aſſumunt immobilium quæ arte talia effecta: quod ſolo inædificata ei cohæreant. Feuda mixti generis eſſe videntur, quod vel in agris, vel ædibus, vel utriſque ſimul conſiſtant. *Tiraq. de retract.* §. 1. *gloſſ.* 7. *Steph. Gratian. diſc. for.* 564. *n.* 3. *vid. Reinck. de retract. gentil. quæſt.* 3. *num.* 115. *gloſſ.* 7. *num.* 92. *Curtius de feud. p.* 1. *quæſt.* 6. *incipit, ſexto princ. quæritur. num.* 11. *Peck. de teſtam. conjug.* 5. *cap. fin. Choppin.* 1. *de morib. Pariſ. tit.* 2. *num.* 43. Quinimo ſi mola in flumine vel alibi navi fuerit impoſita, & quidem perpetuæ ſervitutis jure eidem ſuperſtructa, pro re immobili habebitur. *Choppin. d. loc. poſt Molinæum.* Sicuti mola pneumatica, ut maximâ ex parte terræ non cohæreat, quia tamen non facile moveri

veri poteſt, immobilis judicabitur. *Roſenth. de feud. p. 1. cap. 4. concl. 5. Ritterſh. 1. feud. 7. n. 5. Mevius ad Lubecenſ. 1. tit. 10. artic. 6. num. 76. vid. Hering. de Molendin. & Scheffer. quæſt. juris practicab. quæſt. 39.*

Quæ acceſſionis intuitu ſunt immobilia, ea ſi ſeparata mobilia forent, juncta immobilibus, iiſque affixa, vel infixa, vel aliter iis annexa, pro immobilibus habentur; neque enim remanente eodem nexu de loco in locum dimoventur. Ita in genere omne quod cohæret *rei immobili*, hâc tranſeunte etiam tranſit in poteſtatem vel dominium alterius. *arg. nov. 7. in princ. verb. hæc ergo. Choppin. ad Pariſ.* 1. *tit.* 1. *n.* 13. 14. Unde divenditis ædibus, tignum iiſdem junctum, etiam erit divenditum; cum ne quidem ſi malâ fide fuerit junctum ab ædibus ſeparari debeat. §. 30. *Inſtit. de Rerum Diviſion. tit. D. de tign. junct. vid. l. binas quis. D. de ſervit. præd. urban.*

Ad eundem modum tegulæ quamdiu domui applicatæ ſunt cum eâdem immobiles cenſentur, quæ aliter ſeparatæ facile de loco in locum transferuntur. *l.* 23. *D. de uſucap. Tiraquell. de retract. gentil. p.* 1. §. 1. *n.* 92.

Sic itidem divenditis ædibus quicquid ibi firmum & fixum, quod Belgicâ phraſi

AERT

AERT EN NAEGEL-VAST deſignamus, unà tranſlatum eſſe judicatur. *vid. l.* 13. *l.* 17. *D. de action. empt. l.* 31. *de leg.* 3. *Speculat. tit. de empt. vend.* §. *princ. verb. ad evidentiam. Mantic. de tacit. & ambig.* 4. *tit.* 14. 15. *& ſeqq. Capoll. de ſervit. cap.* 47.

Torcularia inſuper perpetui uſus gratiâ in ædibus recondita, maximè ſi opere ſtructili concludantur, ut de loco dimoveri nequeant de moribus Pariſ. pro *immobilibus* habentur. *l.* 17. §. *pen. D. de action. empt. l.* 21. *D. de inſtruct. vel inſtrum. legat. Choppin.* 1. *de mor. Pariſ. tit.* 1. *num.* 14.

Dolia etiam in terram defoſſa, & prælo conjuncta, eodem cum torcularibus jure reguntur. Quod ſi terrâ non contineantur, quia ſupra eam ſunt, rutis & cæſis adnumerabuntur. *d. l.* 21. *l. granaria. l. pen.* §. *ſi dolia. D. de action. empt. l. dolia. D. de contr. empt. l. cætera.* §. *item D. de legat.* 1. Ulpiano tamen placuit vaſa licet terræ infoſſa, licet ædificio cohærentia, eſſe mobilia. *l. fundi. in princ. D. de action. empt.* In quo textu mendum agnovit *Tiraquell. de retract:* §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 98. poſt eum *Gothefred. in not. ad d. l.* Forte reſpondendum erit, ea non ad uſum domus perpetuum, verum tantum ad uſum temporarium defoſſa fuiſſe. *vid. Choppin.* 1. *de mor. Pariſ. tit.* 1. *n.* 15. 16.

Fructus etiam in numerum immobilium referuntur, quia rebus immobilibus affixi ſunt, quamdiu pendent, nec à ſolo ſunt ſeparati, ut ejus partes eſſe dicantur. *l.* 44. *D. de rei vindic. l.* 13. 17. *D. de action. empt. vid. Caſtrenſ. conſil.* 238. *Choppin.* 1. *de mor. Pariſ.* 1. *tit.* 1. *num.* 20. 21. ubi nonnulla occurrunt de fructibus viduæ vel hæredibus communicandis.

Jure tamen Saxonico ad aliquem juris effectum mobilium ordini fructus adſcribuntur, referente *Berlichio*, ibique *DD. part.* 3. *concluſ.* 30. *num.* 20. *& concluſ.* 45.

Quinimò ad effectum alienationis prohibitæ rerum minoris immobilium, fructus pendentes mobilibus adſcribit. *Tiraquell. de retract. conſang.* §. *gloſſ.* 7. *num.* 52. *& ſeqq. ibique DD.*

Arbores quæ ſolo coäluerunt, pro immobilibus habentur, quia ſolo cedunt; & grandes in ſylvis arbores, licet ſylvæ ſint cæduæ, rebus ſoli accenſentur, donec fuerint excisæ. §. *quod ſi.* 21. §. *ſi Titius.* 32. *Inſtit. de rerum diviſ. Speculator tit. locati.* §. 1. *verb.* illud autem. *Choppin. de moribus Pariſ.* 1. *tit.* 1. *num.* 22.

Placuit tamen Armorico Senatui à conductore fundo inſitas, fundi emptori neutiquam

tiquam cedere, verum ab implantante colono eximi poſſe. *Choppin. d. loc. num.* 16. Sicuti quorundam Flandrorum jure municipali eaſdem mobilium legato venire refert *Perez. Cod. de legat. num.* 28. Secus quam obtinet moribus noſtris quibus conductori æſtimatio arborum implantatarum, habitâ ratione pretii, quo emptæ ſunt, præſtatur; niſi aliter locationis inſtrumento fuerit cautum.

Hinc etiam fundo vendito, & quicquid terrâ ſe tenet divenditum eſſe intelligitur; idque vel jure partis quæ ſequitur naturam totius, vel jure acceſſionis, quæ ſequitur naturam principalis. *l.* 13. *l.* 17. *D. de Action. empt. l.* 66. §. *fin. D. de contr. empt. arg. l.* 1. §. 8. *D. de vi & de vi armat.* vid. *Mantic. de Tacit. & amb.* 4. *tit.* 14. *& ſeqq.*

3. An ergo domo divenditâ hortus divenditus eſſe dicetur? Neg. neque enim domus appellatione venit hortus, niſi expreſsè in ejus venditione horti facta ſit mentio. *l. fin. D. de ſerv. præd. urban. c. Rainutius in princ. de teſtam. c. fin.* 12. *quæſt.* 2. Quod tum obtinere ſtatuendum eſt, cum hortus ab ædibus ſeparatus eſt; neque ad uſum ædium deſtinatus. Ut ſi ædibus ſit conjunctus, ſi paratus ad earum commoditatem,

tem, ſalubritatem, amænitatem, ædium veniat appellatione, ſaltem una cum ædibus cenſeri debeat alienatus. *l. prædiis, 91. §. pen. & ult. D. de leg. 3. Caſtrenſ. in d. l. fin. & DD. in d. c. Rainutius. Alexander vol. 2. conſil. 223. & 6. conſil. 204. Cagnol. in l. cum principalis, n. 9. de Regul. Jur. Bertazol. de clauſul. inſtrum. clauſ.* 19. *gloſſ.* 10.

CAP. V.

1. *Multa ſunt mobilia, quæ deſtinatione immobilia cenſentur.*
2. *Quæ ad perpetuum habitationis uſum ſunt deſtinata, ædium eſſe judicantur.*
3. *Merces in tabernam illatæ, tabernæ adſcribuntur.*
4. *Domo divenditâ, putealia cæteraque divendita videntur.*
5. *Fundo divendito etiam piſces comprehenduntur.*
6. *Vendito vivario etiam divendita ſunt animalia.*
7. *Fundo ſimpliciter legato, dotes prædiorum non debentur.*
8. *Sedilia in templis immobilium jure cenſentur.*

9. *Etiam mobilia viliora, in quantum adhærent immobilibus.*

10. *Machinæ bellicæ arce divenditâ ad emptorem tranſeunt.*

1. SEquuntur ea, quæ deſtinatione, ſine, eventu, uſu, relatione ad rem immobilem immobilium jure reguntur, ſi modo deſtinatio in actum ſit deducta, vel brevi deducenda. *arg. l. 3. D. de diverſ. & tempor. præſcript. Tiraquell. de retract. Gentil. §. 1. gloſſ. 7. num. 105. & ſeqq. ibique dd. Coler. part. 2. deciſ. 286. num. 170. Gail. 2. obſ. 11. num. 4. Berlich. 3. concluſ. 30. num. 23. 29. & concluſ. 31. num. 2.* Eaque in duplici ſunt differentiâ. Vel enim ſunt *mobilia in ſe* & ſuâ naturâ, vel ſunt talia, quæ accuratè & proprie loquendo, *mobilium* vel *immobilium* differentias non ſuſcipiunt.

Prioris generis ſunt molendini inſtrumenta, quæ circum moventur, etiam quandoque eximuntur, quæ propter uſum & deſtinationem pro immobilibus habentur. *Tiraquell. d. loc.* Sicuti in genere ea omnia quæ adhærent immobilibus, vel quæ iis continentur, licet affixa vel infixa non ſint, immobilium nomine veniunt. *Argum. nov.*

7.

7. in princ. Bertazol. de clauſ. inſtrum. clauſ. 19. gloſſ. 3. n. fin.

2. Cum enim ad perpetuum habitationis uſum ſint deſtinata, & tanquam pars ædium conſiderentur, etiam earum imitabuntur naturam. *l.* 13. §. *fin. l.* 14. *D. de action. empt.* Quibus motus rationibus exiſtimarem picturam ante caminum poſitam, eique adaptatam, jure ædium cenſeri, adeoque ædium ſequi emptorem, licet nihil de eâ fuerit cautum. vid. *Berlich. 3. concluſ. 30. num. 22.*

3. Merces inſuper tabernæ ipſi tabernæ, id eſt rei immobili adſcribuntur, ſi ſint in tabernam eum in finem illatæ ut ibi mercatura exerceatur, *l. cum tabernam.* 34. *D. de pignor. l. grege* 13. *D. eod. Berlich. 3. concluſ.* 30. Et propterea mobilibus legatis demonſtrato certo loco, merces venales non continebuntur. vid. *l.* 41. §. 6. *l.* 44. *D. de leg.* 3.

4. Hinc Ædificio divendito, non tantum, quæ res eſt immobilis, puteus, ſed etiam putealia illi rei adſcribuntur; id eſt tabulæ quibus puteus operitur, funes vel catenæ, quibus aqua hauritur, vaſa, crateres lapidei, ad recipiendum aquam adaptati, fiſtulæ, aliaque ejus generis inſtrumenta. *l. Julianus.* 13. §. *fin. cum ll. ſeqq. D.*

de

de action. empt. ibique Budæus. l. 32. l. qui fundum. 40. §. fin. D. de contr. empt. Specul. in tit. de emption. §. primo. verb. ad evidentiam. Capoll. de Servitut. cap. 47. Mantic. 9. conject. ult. vol. 2. 3.

5. Etiam fundo divendito, in quo piſcina vel ſtagnum, piſces debebuntur, quod ſolo accedant, eo contineantur, & ad uſum vel fructum ſoli deſtinentur. *l. 3. §. item. 14. D. de adquir. poſſeſſ. vid. l. 15. D. de action. empt. Guid. Papæ deciſ. 91. Mozzium de natur. empt. n. 56.* licet immobilium legato non contineantur. *l. moventium. 93. D. de verb. ſignificat.* ibique *DD. l. 3. §. Nerva filius. D. de adquir. vel amitt. poſſeſſ.* vid. *Tiraquell. de retract. gentil. §. 1. gloſſ. 7. num. 117. Molin. ad Pariſ. §. 1. gloſſ. 8. num. 18. Peck. de teſtam. conjug. 5. cap. 30. num. 2. Choppin. 1. de moribus Pariſ. tit. 1. num. 18. Roſenthal. de feud. concluſ. 3. de materiâ feudi. cap. 4. num. 3. ibique DD.*

6. Vivario itidem divendito debentur animalia, quæ gratiâ propagationis ibidem ſunt incluſa *vid. l. 3. §. 4. D. de adquir. poſſeſſ. Gell. 2. noct. attic. 20. Covarr. ad c. peccatum. p. 2. §. 8. n. 14. 15. Argentr. ad Britann. artic. 76. gloſſ. 10. Grotius. 3. introduct. jur. Holland. cap. 14.*

Aliter fundo divendito, animalia vel pecora

cora quæ ſunt in fundo, non debebuntur emptori; quod mobilium ordini ſint adjungenda. *l.* 1. 2. *Cod. de rerum & verbor. ſignif. vid. Choppin.* 1. *de moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 17.

7. Sicuti fundo ſimpliciter legato, dotes prædiorum, id eſt fundi acceſſiones & emolumenta quæ ad culturam ejus ex alio fundo paterfamilias ſumere ſolebat, non veniunt. *l.* 9. §. *fin. D. de uſufr. l.* 2. §. *fin. l.* 21. *l.* 26. *D. de inſtruct. vel inſtrum. legat.* vid. *Alciat.* 10. *Parerg.* 5. *Turneb.* 8. *adverſ.* 9. *Cujac. in expoſ. nov.* 128. Quemadmodum ſervo legato, non tamen ejus peculium legatum eſſe cenſebatur. *l. antepen. D. de pecul. legat. l. librorum.* §. *fin. D. de leg.* 3. *l. unic. Cod. de pecul. ejus qui libertat. meruit.* vid. *Buſium ad l.* 6. *D. de pecul. legat.*

8. Sedilia vero in templis licet ſolo affixa non ſint, quia tamen perpetuo uſui ibidem deſtinata, quia non facilè dimoventur, moribus immobilibus accenſenda videntur, referente *Mevio ad jus Lubecenſ.* 1. *tit.* 10. *artic.* 6. *num.* 75.

9. Inſuper mobilia licet indigniora, in quantum in maſsâ immobilium continentur, licet non ſint acceſſoria, ab immobilibus attrahuntur, ut eorumdem legibus

D regan-

regantur. Minus enim dignum à magis digno ſuperatur, & fortius ad ſe trahit minus forte. *arg. l.* 78. §. *illud fortaſſe. D. de uſucap. c. quod in dubiis. de conſuet. Eccleſ. Tiraquell. de retract. gentil. p.* 1. §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 82. *Argentr. ad Brittann. artic.* 266. *c.* 2. *num.* 12.

10. Superſunt arcium tormenta machinæ bellicæ, quæ licet res ſint mobiles, arce tamen divenditâ, quæ machinæ tuendæ arcis causâ paratæ ſunt, etiam cum eâ tranſeunt. *argum. l.* 13. §. *fin. D. de action. empt. l. quæſitum.* §. *ſi domus. D. de inſtruct. & inſtrum. Tiraquell. de retract. gentil.* §. 1. *gloſſ.* 7. *n.* 96. *& ſeqq. Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *n.* 13. *Cujac.* 2. *feud.* 2. *Mornac. ad d. l.* 13. *vid. Peckium.* 5. *de teſtam. conjug. cap. fin. n.* 3. *Berlich.* 3. *concluſ.* 30. *n.* 24. *Guili. Onciaci quæſt. jur. Philoſ.* 47.

CAP. VI.

1. *Quædam* Immobilia *ad omnem juris effectum, licet ſint in ſe* Mobilia.
2. *Quædam* Immobilia *ad aliquem juris effectum.*
3. Mobilia *pupillorum quæ ſervando ſervari*

ſervari poſſunt, immobilibus accenſentur quoad ſolemnia alienationis.

4. *Idem de dote re mobili mulieris ſtatuendum, quæ ſi ſervando ſervetur, non alienatur à marito.*

5. *Res pretioſæ in ordine ad evictionem duplæ pro immobilibus habentur; etiam reſpectu Gentilitii retractus.*

6. *Res inſuper pretioſæ divenditæ admittunt reſciſſionis remedium ex* l. 2. Cod. de Reſcind. Vendit.

7. *Navigium Jure Romano quoad effectum in jus vocationis, domui comparatur.*

8. *Supellex reſpectu interdicti* unde vi *domui adſcribitur.*

9. Mancipium ruſticum, *ſicuti prædium cui adſcriptum, longo tempore uſucapitur.*

10. *Mobilia uxoris jure Saxonico ad aliquem juris effectum pro immobilibus habentur.*

1. EX iis quæ naturâ quidem mobilia erant vel ſe moventia, verum diverſâ conſideratione immobilibus adſcribebantur, quædam forte per omnia immobilium lege reguntur, adeoque lege loci, quædam, ad aliquem tantum juris effectum, prout vel legum auctoribus, vel ſtatutorum conditoribus deſederit. Ad quæ cum non advertant qui leges Romanas non ſatis penetrarunt, qui jurium vim municipalium non ſatis aſſequuntur, effectum eſt ſæpè, ut à ſcopo & intentione ſtatuentium, à principiis antiquorum Juriſconſultorum receſſerint. Atque ita hic error manifeſtus errorum fertilis alios errores propagavit, inter quos etiam non exiguus eſt, quod pro mobilibus haberi velint, etiam in ordine ſtatutorum, ea tantum quæ moventur, & demum pro immobilibus accipi, quæ ſoli ſunt, vel ſolo cohærent.

Quod ea ſpectat corpora, quæ per omnia legibus rerum ſoli vel immobilium regantur, licet in ſe & ſuâ naturâ ſint mobilia dubitare merito licebit, num talia repeperiantur de jure Romano, vel ſecundum locorum conſuetudines demonſtrari poſſint? Forte ad ea bonorum genera referendæ videbuntur naves majuſculæ, ſtante

tali

tali ſtatuto, ut eas nonniſi coram lege loci transferre liceat, utque earum nomine in causâ pignorationis etiam quadrageſimus ſolvatur nummus. Quod ſi quiſpiam ambigat, & me ambigere, lubens fateor, adeoque amplius deliberandum eſſe exiſtimabo.

2. Quæ vero ad aliquem juris civilis, vel conſuetudinarii effectum *immobilia* cenſentur, ea varia enumerari poterunt.

3. Nam *mobilia* pupillorum vel minorum bona, quæ ſervando commodè ſervari poterunt, adhibitâ *immobilium* ſolemnitate, ſecundum jura civilia alienantur, ſic ut juſta cauſa ſubeſſe debeat, ejus cauſæ examen, & decretum magiſtratus. Nam quod decretum in rebus minorum *immobilibus*, & quidem in prædiis ruſticis & ſub Urbanis ex oratione Severi deſiderabatur. *l.* 1. *D. de rebus eorum qui ſub tutelâ. l.* 1. 4. ſ. 16. *Cod. eod.* Oratione Conſtantini non tantum ad prædia Urbana, cæteraque, verum etiam ad mancipia, & res pretioſas mobiles exigitur. *l. lex quæ.* 22. *Cod. de adminiſtr. tutor. Bartol. in l. fin. in* 1. *notab. Cod. de vendit. rerum civit. libr.* 11. *Gœdd. ad l.* 198. §. *num.* 1. *D. de verb. ſignif.*

4. Ad eundem modum quando diſceptatur de dotis muliebris alienatione, cui ma-

marito ex *l. Juliâ* erat interdictum, ſi ea in rebus ſoli conſiſteret, quoad prohibitam alienationem immobilium ordini adſcribebantur res mobiles, quæ ſervando ſervari poterant. *l. unic. §. & cum lex Julia. Cod. de rei uxor. action. Authent. ſive à me. Cod. ad Senat. Vellejan.*

5. Homines inſuper, res pretioſæ mobiles, non contemptibiles; quales ſunt delectiſſimæ gemmæ, vaſa aurea vel argentea inſigni & ſingulari arte fabrefacta, vel celata, contemplatione evictionis ſtipulationis duplæ immobilibus comparantur; forte etiam intuitu retractus gentilitii qui non niſi in *Immobilibus*, & æquiparatis immobilibus, admittitur. *l.* 31. §. 20. *D. de ædil. evict. l. 6.* 37. *D. de eviction. Tiraquell. de retract. gentil. gloſſ.* 1. §. 7. *n.* 100.

6. Inſuper res pretioſæ ſi ſpectemus effectum illum venditionis, quo qui læſus eſt ultra juſti precii dimidium agere poteſt ex *l.* 2. *Cod. de reſcind. vendit.* etiam tanquam res ſoli, de quibus agitur in *d. l.* 2. æſtimabuntur, conceſsâ emptori vel venditori facultate ad contractus reſciſſionem agendi. *DD. ad l. 2. Cod. de reſcind. vend. Ferron. ad Burdegal. in* §. 20. *de feud. Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *n.* 2. & 32. *Molin. ad Pariſ. tit.* 1. *de materiâ feudi paragrapho* 22. *n.* 47. *in med.*

7.

7. Ita navigium in jure noſtro ad aliquem juris effectum domui, ſeu *rei immobili* comparatur, in quantum nemo de ſuâ navi, ſicuti nec de domo ſuâ, quæ cuique tutiſſimum eſt refugium, per vim obtorto collo, vocari poterat. *l. plerique. D. de in jus vocand.* Quod ita intelligendum èſt, ſi quis in navi habitet. Quo etiam caſu in eum qui navi præpoſitus eſt, utilis actio de dejectis dabitur, ſi quid è navi dejectum fuerit. *l. 6. §. fin. D. de deject. & effuſ. junct. l.* 1. §. 4. *D. eod. arg. l.* 36. *D. de Evict.*

Etiam moribus Hollandiæ navigium majus vel ad voluptatem factum, ad illum juris effectum, (ſi non ad omnem) eſt immobile, quod eo divendito vel pignorato 40. nummus pendatur ; & nummus 80. ſi in executionem rei judicatæ divendatur. *Conſt. Ordinum Holland. ann.* 1622. *Mart.* 10. Licet aliter in jure navigium res ſit mobilis. *l. vi facit.* 20. §. *quod in nave.* 20. *D. quod vi aut clam. l.* 1. §. *illud.* §. *ſi quis de nave.* 7. *D. de vi & de vi armat. vid. Tiraquell. de retract. gentil. part.* 1. §. 1. *n.* 92.

Quinimo Juriſconſulti Hiſpani naves bellicas agris comparant, ad illum juris effectum, quod maris præfectus, ex iis captis partem nullam habeat, quam aliter in omnibus mobilibus, & cæteris onerariis navi-

navibus habet; ut ad eum effectum juris immobilibus applicentur. *l. ſi captivus*. §. 1. *D. de Captiv. & poſtlim. reverſ. Conſtit. Regni Hiſpan. libr.* 19. *tit.* 20. *partit.* 12. *Ajala libr.* 1. *de jure & offic. bellic. n.* 3. *Conſult. Juriſconſult. Holland. part.* 3. *conſil.* 340. *num.* 15.

8. Supellex inſuper quæ in domo eſt, unde quis dejicitur, ad illum effectum dejectionis etiam rei immobili adſcribitur, ut ejus nomine interdicto, propter rem immobilem introducto, *unde vi*, experiri liceat. *l.* 1. §. *plane*. 8. & §. 32. *D. de vi & de vi armat.*

9. Mancipium itidem ruſticum, res ſeſe movens, contemplatione præſcriptionis longi temporis eodem jure cenſetur, quo prædium res corporalis immobilis. Ut ad effectum uſucapionis vel præſcriptionis non ante amittatur, quam ipſum prædium, quaſi fundo cohæreat, & pro parte ruris habeatur. *l.* 3. 9. *D. de diverſ. temporal. præſcript. Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ.* 1. *num.* 17.

10. *Mobilia* etiam uxoris, quæ ſecundum jus Saxonicum lucratur maritus, pro immobilibus ad illum juris effectum interpretes habent, quod ibi eſſe intelligantur, ubi ſita, quando extra territorium domi-

cilii

cilii mariti ſunt deſtinata, ut ibi perpetuo maneant. *Hartmann. Piſtor. obſerv. 55. n. 3. ibique DD.* ſed de hiſce forte latius in ſeqq.

Cap. VII.

1. *Quædam nec* mobilia *propriè nec* immobilia, & *tamen reſpectu quorumdam juris effectuum immobilium legi ſubjiciuntur.*
2. *Jus colligendi prædagia, jus collectandi, juriſdictio immobilium jure cenſentur.*
3. *Servitutes vario reſpectu ad* immobilia *referuntur.*
4. *Idem de perſonalibus ſervitutibus eſt aſſerendum.*
5. *Diſtinctio ſecundum jus civile videtur adhibenda.*
6. *Pecunia ut quantitas, non ut corpus debet conſiderari.*
7. *Legato immobilium non continetur, licet emptioni prædiorum ſit deſtinata.*
8. *Pecunia ad mutui dationem deſtinata mobilium legato non continetur.*

9. *Nummi minorum ad agrorum comparationem deſtinati, ſunt immobiles.*

10. *Nummi ex immobilibus uxoris percepti, & ad immobilium emptionem deſtinati, ejuſdem juris cum immobilibus cenſentur.*

11. *Eccleſiæ latifundia ſi diſtracta, pretium inde redactum immobile judicabitur.*

12. *Theſaurus forte non adnumerabitur rei immobili.*

13. *Munera itidem publica venalia quandoque immobilium jure reguntur.*

14. *Annui reditus reſpectu executionis in Hollandiâ mobilibus adnumerantur.*

15. *Secundum alium juris effectum in Provinciâ Ultrajectinâ immobilium jure cenſentur.*

1. SEquuntur ea, quæ immobilium legi parent ſecundum aliquos juris effectus, nec tamen propriè & accuratè loquendo

quendo vel in mobilium vel immobilium claſſem referuntur. Talia exiſtimantur, quæ tertium genus bonorum conſtituunt, ſi differentias mobilium & immobilium ſpectemus; vel potius rebus corporalibus opponuntur, & diſtinctum ab iis genus faciunt, incorporalia nuncupata; quæ in latiori ſignificatione, non jura tantum in *med. tit. de rebus corpor. & incorpor.* enarrata, verum etiam actiones complectuntur.

2. Huc principiò referam, jus colligendi pædagia, jus collectandi, juriſdictionem, & quæ ſunt hujus generis alia. *c. querelam. de elect. Bertachin. in repertor. in verb. bonorum appellatione. p. mihi.* 311. *Perez. Cod. de vi & de vi armat. num.* 3.

3. Servitutes etiam reſpectu multiplici in ordinem immobilium aſſumuntur. Et quidem primitus intuitu uſucapionis vel longi temporis præſcriptionis: quod cum olim uſucapi non potuerint. *l.* 14. *D. de ſervitut.* hodie ad exemplum rerum ſoli decennio inter præſentes, vicennio inter abſentes amittantur, & adquirantur. *l. fin. in fin. Cod. de long. tempor. præſcript.* Excepto hoc unico caſu, quo conſtituta eſt ſervitus ratione exercitii diſcontinua ut alicui liceat nonniſi ſingulis quinquenniis ſemel per alterius fundum ire agere. Quæ ſervitus nonniſi

niſi vicennio, inſuper habitâ differentiâ præſentiæ & abſentiæ, amittitur. *l. fin. Cod. de ſervit. & aquâ.*

Dein contemplatione prohibitæ alienationis rerum immobilium, ſervitutes in numerum immobilium rediguntur, ſic ut quemadmodum res minorum, res dotales, res per teſtatorem alienari prohibitæ non debent alienari, ita nec debeant per ſervitutum impoſitionem divenditionem, reddi deteriores, vel jus in iis adquiſitum minui. *l. 3. §. ſimili. D. de rebus eorum qui ſub tutel. vel cur. l. 5. 6. D. de fund. dotal. l. fin. Cod. de rebus alien. non alien. Anton. de Butr. in c. nulli. de rebus Eccleſ. non alien. & gloſſ. in c. 2. eod. tit. in 6. Alexand. Conſil. part. 1. conſ. 52. & in l. moventium. D. de verb. ſignif. Tiraquell. de retract. Gentil. gloſſ. 5. ibique DD. Gail. 2. obſ. 11. in fin. Choppin. 1. de Moribus Pariſ. 4. in princ. Berlich. 3. concluſ. 30. num. 25.*

4. Servitutes itidem perſonales uſusfructus, uſus & habitatio, eodem jure quo reales, & ad eundem fere effectum, cenſeri debent. *l. fin. §. fin. in fin. Cod. de long. tempor. præſcript. vid. Alexandr. 1. conſil. 52.* Licet autem in materiâ uſucapionis immobilibus adnumerentur *d. l. fin. & l. 13. Cod. de ſervit. & aqua.* ſunt tamen qui intuitu re-

retractus gentilitii, in immobilibus divenditis locum habentis, uſumfructum formalem, uti eum appellant DD. mobilium ordini adſcribunt. vid. *Covarr. 3. variar. reſol.* 11. *num.* 4. *& ſeqq. Gomeſ. ad l.* 70. *Tauri. num.* 24.

5. Secundum jura civilia diſtinguendum videtur inter uſumfructum è re mobili debitum, qui mobilium ſequetur naturam; niſi ea res mobilis rei ſoli accedat. *l.* 3. §. 15. *D. de vi & de vi armat. l.* 13. *Cod. de ſervit. & aquâ.* & inter uſumfructum, è re immobili debitum qualis eſt uſusfructus fundi, vel ædium, qui jure immobilium regitur. *l.* 3. §. 13. *D. de vi & de vi armatâ. arg. l.* 2. 4. *D. de uſufr. c. fin. de pignor. vid. DD. apud Tiraquell. de retract. gentilit. part.* 1. *gloſſ.* 7. *num.* 55. *& ſeqq. Gregor. Thol. Synt. Jur. libr.* 1. *cap.* 9. *num.* 6.

Jus itidem venandi, quod ſicuti cæteræ ſervitutes, tribus adquiritur modis, pactionibus, ſtipulationibus, & ultimâ voluntate, etiam rebus immobilibus eſt adnumerandum. Illud enim ſecundum receptam in Camerâ Imperiali ſententiam, ſervitutibus realibus adſcribunt, ut propterea tranſitorium ſit ad hæredes, ſicuti jura realia. *l.* 196. *D. de regul. jur. vid. Zaſium libr.* 1. *ſingul. intell. cap.* 11. *num.* 10. *Tiraq. de*

de nobil. cap. 36. *num.* 139. *Gail.* 2. *obſervat.* 66. *num.* 2.

Licet ſi jus Romanum ſpectemus, ad jus uſusfructus venatio non incommode referatur, maxime quando fructus fundi etiam in venatione conſiſtit. *l.* 9. §. *aucupiorum. l.* 62. *D. de uſufruct.* Neque obſtabit, quod ut plurimùm ad delectationem venatio inſtituatur, ut propterea non videatur ad uſumfructum, vel aliam quam ſervitutem referri poſſe, ut quæ adferre debebat aliquam utilitatem, ſaltem ad hoc eſſe introducta, ut adferre poſſit. *l.* 15. 19. *D. de ſervit.* Licet enim quæ realis eſt, non præcisè ad voluptatem introducatur, quæ non eſt utilitas prædii, ea tamen quæ perſonalis eſt, ad animi recreationem poterit eſſet conſtituta, quæ eo ipſo pro fructu habetur, & in quo aliquem fructum percipit homo. Ita nomiſmatum quibus pro gemmis utimur ad oblectamentum viſus, ad pompam & oſtentationem, vel aromatum ad gratiorem odorem adhibitorum, eſt uſusfructus. Sicuti ſpatiandi per alienum, cœnandi in alieno recte conſtituitur ſervitus, ſi modo non ad uſum rei ſed perſonæ conſtituta fuerit. *l. nomiſmatum.* 28. *arg. l.* 41. *D. de uſufructu. l.* 8. *D. de ſervitut. Gothefred. in d. l.* 28. *& in d. l.* 8. poſt *Zaſium.*

6.

6. De pecuniâ anceps & dubia quæſtio eſt, an mobilium an vero immobilium numero comprehendatur? Certum eſt eam eſſe quantitatem, quæ licet nitatur corpore & quidem mobili, non tamen in eâ ipſum corpus verum quantitatem conſideramus: ut propterea rebus incorporalibus applicetur. Et ita JC. Javolenus *in l. qui hæredis. 46. D. Cond. Indeb.* nummos rebus corporalibus opponit. Poſtquam enim in *d. l.* 1. de nummis dixiſſet, ſubjicit in fine, idem eſſe in rebus corporalibus. Quæ oppoſitio eſt argumento nummos potius eſſe res incorporales. Pecunia enim numerata ipſo uſu, aſſiduâ quaſi permutatione quodammodo extinguitur, uti loquitur Tribonianus in §. *conſtituitur. Inſtit. de uſufr.* Unde cum quantitates in genere pecunia complectatur, ipſa etiam ut quantitas conſiderari debebit. *l. pecuniæ nomine. l. pecun. verbum. D. de verb. ſignif.*

Neque hæc diſtinctio cuiquam magis ſubtilis quam vera videri debet, ſi advertat Juriſconſultos hanc ipſam in uſusfructus materiâ adhibuiſſe, ubi veſtimenta vel ut corpora, vel ut quantitates ſpectantur. Ut illo caſu ad verum uſumfructum referantur, hoc caſu ad quaſi uſumfructum. *l. 15. §. 4. D. de Uſufr.*

Non

Non aliter atque jura ſervitutum qualitates prædiorum appellantur, à prædiis toto genere diſtincta, quæ corpora ſunt immobilia, cum jura eorum ſint qualitates, adeoque rebus adſcripta incorporalibus. *tit. inſtit. de rebus corpor. & incorpor.* Et ſicuti non rectè infertur, ſine prædiis jura ſubſiſtere non poſſe, adeoque res eſſe corporales vel corpora (licet ita quandoque à ſubjecto in jure appellentur. *Cujac.* 9. *obſ.* 37. *poſt med.*) ita nemo rectè intulerit, pecuniam eſſe corporalem vel corpus, quod ſine corpore nulla quantitas conſiſtat. Neque enim ſenſus eſt, quantitatem qui modus eſt materiæ ſine eâ reperiri, verum quantitatem intellectu percipi non percepto corpore, non autem remoto corpore vel materiâ. Ut qui pecuniam cogitat, *in eâ*, ex ſententiâ Papiniani, *non corpora cogitet*, *ſed quantitatem. l.* 95. §. 1. *D. de ſolution. & liber.*

Ut hinc rectè collegerit *Hottomannus illuſtri quæſt.* 15. nummos non rebus corporalibus, ſed incorporalibus accenſeri, adeoque diverſos eſſe corporis & quantitatis conceptus, quia diverſa ſunt extrema. *l.* 19. §. 2. *l.* 45. *in fin. D. de indeb. condict. l.* 24. *D. depoſ. l.* 5. *D. de impenſ. in rem dotal. fact. Cujac.* 14. *obſ.* 19. *Gothefred. ad d. l.* 94. §. 1. *D. de ſolut. & liberat.* Non aliter

atque

atque teſſeræ frumentariæ legatum, licet frumenti ſint corpora, magis in quantitate, quam in corpore juxta mentem Pauli JCC. conſiſtere dicitur. §. *quod ſi* 28. *inſtit. de rerum diviſ. l.* 87. *in princ. D. de legat.* 2. Et vice verſa nummi aurei vel argentei, quando iis pro numiſmatibus utimur quæ tanquam gemmas geſtare ſolent, verum admittent uſumfructum, quod jus eſt in corpore, non in quantitate. §. 1. *inſtit. de uſufr. l.* 28. *D. eod. l. Quintus Mucius.* 27. §. 4. *in fin. D. de auro & argent. leg.*

Quamvis autem in ſe nec mobilis nec immobilis cenſeri debeat pecunia, *l. qui hæredis.* 46. *D. de Indeb. Condict.* nonnunquam tamen & ſecundum jura Romana, & conſuetudinaria, vel rei mobili vel immobili adſcribetur. *Auth. hoc niſi in princ. verb. pecunia, vel aliâ re mobili. Cod. de ſolut. nov.* 22. *c. & quia parum. verb. ſi vero conſtituta eſt.* vid. *Baldum in l. ea demum. circa med. verb. & prædicta faciunt. Cod. de Collat. Giphan. antinom. juris feudal. diſp.* 3. *n.* 41.

Unde quæſitum eſt, num pecunia prædiorum emptioni deſtinata legato immobilium contineatur? Et videtur dicendum eam non contineri, *arg. l. Chorus.* 79. *D. de leg.* 3. *Pinell. ad l.* 1. *Cod. de bon. matern. part.* 2. *num.* 44. *Roeland. à Valle de lucr.*

 dot.

dot. quæſt. 91. *Gail.* 2. *obſ.* 11. *Peckius* 5. *de teſtam. conj. cap.* 30. *num.* 4. *Berlich. part.* 3. *concluſ.* 30. *num.* 4. *Wiſſenb. diſp. P.* 3. *vol.* 2. *num.* 9. *diſſ. Coler. deciſ.* 286. *Mejer. Coll. Argent. tit. de rerum diviſ. theſ.* 53.

8. An ſi nummi fuerint repoſiti, ut alicui mutuo darentur, ordini mobilium adſcribuntur? Quoniam alicubi eſſe non videntur, quæ ibi ſunt, ut mutuo darentur, ideo nummi legato mobilium, hâc formulâ expreſſo: *quæ ibi erunt mobilia*, non continebuntur. *l. ſi chorus.* 79. §. 1. *D. de leg.* 1. Aliter quam obtinebit, ſi ibidem causâ præſidii ſint repoſiti. *d. l.* Ratio diverſitatis hæc videtur dari poſſe, quod quando repoſiti ſunt cauſa præſidii, magis ut numiſmata videantur eſſe ſepoſita. *l. nomiſmatum.* 28. *D. de uſufr.* Quibus ſicuti pro corporibus utimur, ita etiam nummos in præſidium ſepoſitos ut corpora intuebimur, maximè cum ad eum uſum non habeantur, qui eſt pecuniæ proprius. Verum qui repoſiti ut mutuo darentur, illorum uſus conſiſtit in abuſu, adeoque in iis non corpora ſed quantitatem & valorem cogitabimus, ut mobilium appellatione, quæ differentia eſt rerum corporalium, non veniant. *l.* 44. §. 2. *D. de ſolut. l.* 94. §. 1. *D. eod.* vid. *Choppin.* 1. *de Mor. Pariſ. tit.* 1. *num.*

num. 31. *diſſ. DD. apud Berlich.* 3. *concluſ.* 30. *num.* 3. 4.

Similem in modum DD. nummos habito reſpectu ad retractum gentilitium, mobilibus adnumerant, licet ad emptionem rei immobilis ſint deſtinati, ut propterea in iis retractum non admittant. *Tiraquell. de retract. gentil. part.* 1. §. 1. *num.* 106. *Peck. de Teſtam. Conjug. lib.* 5. *cap. fin. num.* 2.

9. In aliis tamen caſibus in ordinem immobilium aſſumuntur, ad aliquem juris effectum. Etenim nummi minorum depoſiti, vel in arcâ concluſi ad agrorum comparationem frequentiori Doctorum calculo judicantur immobiles. *l. à divo Pio.* 15. §. *fin. D. de re judic. l. quid ergo.* §. *uſuras. D. de contr. & utili curat. causâ action. Choppin.* 1. *de Mor. Pariſ. tit.* 1. *n.* 27. *Guitier. in tract. de tutel. Sand. de prohibit. rerum alienat. cap.* 1. §. 2. *num.* 12.

10. Forte etiam nummi ex immobilibus uxoris divenditis percepti, & ad immobilium comparationem deſtinati, ejuſdem cum iis juris habebuntur, ad quæ deſtinantur. *Sichard. in l. ubi adhuc.* 29. *Cod. de jure dot. num.* 10. 11. *Chriſtin. ad Mechlin. tit.* 9. *& vol.* 1. *deciſ.* 212. *vid. tamen Chaſſan. rubric.* 4. §. 2. *verb. omnium mobilium. Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ.* 1. *n.* 24. 25. 26.

 27.

27. 28. Sand. 2. tit. 5. def. 3. Berlich. 3. concluſ. 29. num. 78. & ſeqq. vid. Matth. Weſembec. conſil. 321. num. 46. & ſeqq.

11. Ita ſi Eccleſiaſtici juris latifundia, vel vectigalia, vel decimæ ſint diſtractæ, pretium immobilibus accenſetur, in quantum in alterius rei immobilis comparationem, vel ad uſum Eccleſiæ deſtinatum eſt, vel ad eum uſum conferri ſolet & debet. *arg. nov. 54. cap. 2. nov. 120. cap. 7. Choppinus. 1. de Moribus Pariſ. tit. 1. num. 24. Sand. de prohib. rerum alienat. c. 7. §. 2. num. 9.*

Non tamen pecunia è re feudali redacta in locum rei ſuccedit. *Schurff. 1. conſil. 11. Borcholt. de feud. cap. 6. num. 14. Giphan. antin. juris feudal. diſp. 3. num. 42.*

12. Quid vero ſtatuendum erit de theſauro, veteri pecuniæ depoſitione cujus memoria non extat, an ne rei immobili adſcribetur? Ut cedat emptori, tanquam rei immobilis acceſſio in numerum immobilium non recipietur. *l. à tutore. 67. D. de rei vindic. l. 63. D. de adquir. domin. l. poſſideri. §. 1. D. de adquir. poſſeſſ. Choppin. de Mor. Pariſ. tit. 1. num. 30.*

Erit nihilominus emptoris inventus theſaurus, non tanquam ſoli acceſſio, verum ut loci beneficium. *dd. ll.* Niſi tamen theſaurum

ſaurum in domo defoſſum emptor ſciverit, & hoc ipſum ignoraverit venditor, cui ſua ignorantia, quæ facti eſt, obeſſe non debebit. *l. error facti.* 8. *D. de juris & facti ignorant. Deſſel. in not. ad Zoeſ. inſtit. ad* §. 4. *de rerum diviſion. vid. Burgund. ad Flandriæ tract.* 12.

13. Quod ſpectat annuos reditus, iſti forte in ordine ad executionem poſt immobilia diſtrahentur, adeoque ad jura & actiones referentur. *l.* 15. §. 2. 8. *D. de re judicat.* Quod ſi ſint reditus publici & quidem Eccleſiaſtici, reſpectu habito ad executionem, immobilibus de jure Romano adnumerantur. *l.* 14. *in princ. verb. res poſtremo immobiles. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. Clement. exivit.* §. *cumque annui. de verb. ſignif.* Quod etiam moribus receptum eſſe ſcribit *Perez. Cod. de rei uxor. actione*, forte moribus illius populi, ubi ille domicilium habebat, non noſtris. Nam ſecundum Hollandiæ praxin reditus, etiam Provinciarum reſpectu executionis rei judicatæ per apparitorem faciendæ pro mobilibus habentur, ſic ut qui modus ſervatur in mobilium executione, idem ſervetur in executione redituum. Ita ſaltem, ne unà cum immobilibus bonis diſtrahantur; quibus certus, & quidem ſecundus aſſignatur locus, dum ſervato ordi-

ne omnia debitoris bona ad haſtam Fiſcalem divenduntur. Ita ſæpe intellectum in ſupremo Mechlinienſi, in ſupremo poſtmodum Hollandiæ Senatu, in Senatu Provinciali, idque 29. Mart. anno 1549. in causâ communium hæredum maternorum Domicellæ Eliſabethæ Croeſnichs ab unâ, & Hendrici Croeſnichs, Domini de Benthuyſen ab alterâ parte; quod etiam in magno Senatu Mechlinienſi fuit confirmatum ann. 1551. Nov. 27.

Similiter judicatum poſtmodum in Curiâ Hollandiæ ſupremâ ann. 1661. Mart. 16. in causâ Wilhelmi Louwer hæredis ex teſtamento Nicolai Louwer, contra hæredes ab inteſtato maternos ejuſdem Nicolai Louwer. Denique ita deciſum in eâdem ſupremâ Hollandiæ Curiâ ann. 1664. Jul. 31. in causâ Johannæ Lampſius viduæ Cornelii de Witte, &c. contra Cornelium à Watervliet Ellewoutſdici Dominum, & Ferdinandum Perpoucher de Sedniskii, qualitate quâ.

Verumtamen ſecundum alium juris effectum Provinciarum reditus, aliique immobilium jure cenſentur. Ita ſi reditus dentur in feudum, & immobilibus adhæreant, vel ex iis debeantur, immobilibus adnumerabuntur. *Neoſtad. de feud. Holland. ſucceſſ. cap. fin. num.* 27.

Etiam moribus Trajectenſium, & quidem juxta nuperam Ordinum noſtrorum deciſoriam ordinationem ann. 1659. April. 14. art. 12. conſtitutum eſt, *ut habitâ ratione donationis, ſucceſſionis teſtamentariæ vel legitimæ annui reditus ſuper Provinciis, civitatibus, collegiis, noſocomiis, pagis, vel talibus fixis vel ſtabilibus corporibus conſtituti, immobilium ordini adſcriberentur.* Quod ad alios juris effectus non eſſe obſervandum prænominati domini Ordines *d. art.* 12. expreſſerunt. Neque enim ſi alios rerum immobilium effectus intueamur in earum numerum recipientur. Saltem coram lege loci, apud acta eos non transferri, & citra effeſtucationem alienari, nummum etiam quadrageſimum interveniente tranſlatione non ſolvi, nec triceſimam hæreditarium pendi, notius eſt, quam ut egeat probatione. Quid, quod etiam in executione rei judicatæ poſt immobilia ſicuti omnes perſonales actiones, reditus propalam diſtrahantur. *Stat. Ultr. Rubric.* 14. *art.* 6. Licet ſecundum ordinationem Curiæ Provincialis, ad ea quæ ſunt condemnato debita, demum poſt divenditos feudorum fructus, etiam diſtracta feuda, perveniatur. *Rubric. de execut. ſent. art.* 3. *Anton. Matth.* 1. *de auction.* 6. *num.* 4.

CAP.

Cap. VIII.

1. *Nomina & actiones, proprie loquendo nec mobilibus nec immobilibus adſcribuntur.*
2. *Si bona mobilia & immobilia fiſco ſint addicta, non continebuntur actiones.*
3. *Secundum quoſdam actiones immobilibus adnumerantur.*
4. *Secundum alios mobilibus adſcribuntur.*
5. *Secundum nonnullos quæſtio diſtinctione temperatur.*
6. *Ea rejicitur, & auctoris ſententia proponitur.*
7. *Sunt quædam actiones perſonales ſed in rem ſcriptæ.*
8. *Actiones in rem mobilem tendentes, mobiles cenſentur.*
9. *Actiones quibus res immobiles ſunt affectæ, pro immobilibus habentur.*
10. *Res pretioſæ pro immobilibus habentur.*

11. *Non*

II. *Non ubique hypothecaria, pro immobili cenſetur.*

I. SEd quoniam ea quæ ſpectant nomina, actiones, & reditus, altioris ſunt indaginis, quam ut unâ finitione, vel diſtinctione determinarentur, ſingulare caput hiſce difficultatibus percurrendis, & removendis deſtinabo. Et quidem principio, in nomina, & actiones, quæ nominum ſunt petitiones inquirendum erit. Siquidem loquamur ſtrictè, propriè, ſecundum juris civilis ſenſum, & interpretationem, nemo dubitat, qui vel à limine Juriſprudentiam Romanam ſalutavit, quin cautiones, nomina, actiones, tertiam bonorum ſpeciem conſtituant, à rebus mobilibus & immobilibus, quoniam à rebus corporalibus, ſeparatam.

Ita ut vi ſignificationis vocabulorum nec mobilium nec immobilium bonorum comprehendantur appellatione. Nam qui removet genus, etiam ejuſdem omnes ſpecies removere neceſſum habet: quod valeat in jure & ubique argumentum à genere ad ſpeciem per remotionem, vel uti loquuntur negativè. §.2. *in princ. inſtit. quibus alien. licet vel non. l.* 1. *D. de rebus credit. Everhard.*

in

in locis legal. loc. 6. Claud. Cautiunc. loc. 7. Vaz. Barboſ. Princ. & loci comm. l. H. a. num. 164.

Ut cum à rebus corporalibus nomina & actiones removeantur, etiam à mobilibus & immobilibus, differentiis corporum, vel rerum corporalium removeri debeant. *vid. l.* 15. §. 2. *D. de re judicat. l.* 86. *in princ. D. de leg.* 2. *l. quæſitum.* 12. §. 45. *D. de inſtruct. vel inſtrum. leg. l.* 92. §. *fin. D. de leg.* 3. *l.* 32. §. *uxori. D. de uſu & uſufr. legat. Alex. vol.* 1. *conſ.* 52. *Tiraquell. de retract. gentil. tit.* 1. §. 1. *Gloſſ.* 7. *num.* 1. *ibique DD. Mantic.* 9. *conject.* 3. *Pinell. ad rubric. num.* 24. *ibique DD. & ad l.* 1. *part.* 2. *num.* 45. *Cod. de bon. matern. Covarr.* 2. *reſol.* 5. *Peck.* 5. *de teſtament. Conjug.* 30. *Aufrerium quæſt. Tholoſ.* 315. *Burgund. ad conſuet. Flandr. part.* 2. *num.* 32. *Hartmann. Piſtoris part.* 1. *quæſt.* 26. *Sand.* 4. *tit.* 4. *def.* 6. *Berlich.* 3. *concluſ.* 33. *num.* 4. *Bacchov. ad Treutler. vol.* 2. *diſput.* 13. *theſ.* 4. *litt. G.*

Unde ſi ſtatutum loquatur de rebus mobilibus & immobilibus, exiſtimant quidam interpretes eo ſtatuto non contineri nomina, vel actiones, quod verba ſtatuti ſtrictè & propriè, niſi aliud ſuadeant circumſtantiæ, intelligi & accipi debeant.

poſt

poſt Pariſ. 2. *conſil.* 94. *Nizolius allegat.* 19. *num.* 57. 58. *Matth. Weſemb. conſ.* 319. *num.* 84.

2. Hinc etiam colligunt, ſi condemnati bona mobilia & immobilia Fiſco ſint addicta non cenſeri publicata jura, vel actiones. Niſi in caſu, quo ſecundum loci ſtatutum, vi illius ſtatuti, vel alicujus legis, omnia quæ *ſunt in bonis* condemnatorum (quod quid ſignificet explicat *Oſwald. Hillig. ad Donell.* 4. *comm.* 5. *in not.*) Fiſco applicantur. *Alexand. in l. ſi conſtante.* §. *fin. num.* 9. *D. ſolut. matrim. Pinell. in rubric. Cod. de bon. maternis num.* 25. 26. 28. 29. *ibique Tiraquell. & alii.* Ut hallucinari ſcribat *Chaſſaneum ad conſuet. Burgund. rubric.* 2. §. 1. *num.* 14. qui exiſtimat in confiſcatione bonorum mobilium, etiam venire jura & actiones.

3. Verum ut ſingula accuratius examinentur, ſingulorum opiniones erunt recenſendæ. Variantes enim Doctorum ſunt ſententiæ, nec una omnium mens eſt, nec idem judicium. Sunt qui nomina & actiones non adhibitâ diſtinctione inter immobilia collocant. *Gloſſ. in l. fin. Cod. in quibus cauſ. in integr. reſtit. non eſt neceſſ. Speculat. libr.* 2. *part.* 1. *tit. de ceſſione action.* §. 1. *num.* 18. *& libr.* 4. *part.* 4. *tit. de reſtit. ſpoliator.* §. 2. *n.* 11.

4. Sunt qui ſemotâ omni differentiâ nomina & actiones in numerum mobilium recipiunt. *Gloſſ. in l. moventium. D. de verb. ſignif.* maximè ſi ſint perſonales. *Speculator. de fruct. & intereſſe.* §. 1. *verb. quæritur. Bartol. in l. ſi convenerit in 2. notab. D. de pignor. action. & in l. uxori. D. de uſufruct. legat. & in l. moventium. D. de verb. ſignificat.* vid. *Tiraquell. de retract. gentil.* §. 1, *gloſſ. 7. num. 7. & quæſtion. 49. de jure primogenituræ. Schrader, de feud. part. 3. cap. 3. num. 4.*

5. Sunt qui actiones immobilibus adhærentes ejuſdem cum immobilibus velint eſſe conditionis, verum adhærentes mobilibus ordini mobilium adſcribunt. vid. *Bartol. in l. 2. in 2. columbn. verb. quæro. Cod. ubi in rem actio. per l. ſi alien.* §. 1. *D. de uſucap.*

Sunt qui diſtinguunt inter actiones quæ tendunt ad res mobiles & eas quæ ad res immobiles terminantur. Ut ſi ad res mobiles tendant, eaſque reſpiciant mobilium lege regantur, ſin vero ad res immobiles, earum jure cenſeantur. Ut tamen interpretes per actiones ad rem potiſſimum eas intelligant, quæ rem afficiunt, adeoque non in perſonam, ſed in rem ſunt actiones. Hancque ſententiam volunt eſſe communem,

nem, & ita lege Pariſienſium conſtitutum refert *Choppin.* vid. *Speculator. de reſtit. ſpoliat.* §. 2. *Alexandr.* 4. *Conſil.* 92. 111. *&* 3. *conſ.* 27. *Peck.* 5. *de teſtam. conjug.* 30. *num.* 3. *Marium Giurbam ad conſt. Senat. Meſſan. cap.* 12. *gloſſ.* 5. *part.* 1. *num.* 7. 8. *ibique DD. Tiraquell. de retract. Gentil.* §. 1. *gloſſ.* 7. *per totum. Gail.* 2. *obſ.* 11. 12. *Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 1. *Berlich. concluſ.* 33. *n.* 5. *ibique DD. Andr. Kolb. ad conſtit. Marchiæ quæſt.* 8. *num.* 4. *Chriſtin.* 2. *deciſ.* 4.

Ut hic perperam quorundam opinionem interpretetur D. Weſel, Advocatus aliter diſertus, qui ad artic. 12. Novell. deciſ. Ordinum Ultrajectinorum, ſtatuit actiones ad res mobiles tendentes eſſe mobiles, & ad res immobiles tendentes pro immobilibus haberi. Et licet aſſerat id rectè DD. placuiſſe, & ita uſu receptum eſſe, non tamen hâc in parte ei aſſentiri potero. Maxime cum animadvertam, non id omnibus illis placuiſſe DD. quos plenis manupulis in ſuum tranſtulit. Neque enim id ita expreſſit allegatus ibidem *Teſſaurus* 1. *quæſt.* 2. *num.* 5. qui in loco prænominato tantum admittit mobilium vel immobilium nomen ad jura & actiones referri; & nonniſi dubitanter idem ex aliis allegat. Non

etiam

etiam uſus communis hanc ſententiam probavit, quin potius ſuaſit contrarium. Nam qui ad rem actionem habet, nonniſi perſonale remedium nactus eſt, adeoque jus ad rem, non jus in re. Neque enim per actionem perſonalem res eſt affecta, ut minus habeat qui actionem, quam qui rem habet. Quam ob rem non ſimiliter de actione, ſicuti de re ipsâ judicandum eſt: quod improprietatis nota *videtur*, *in l.* 15. *D. de Regul. jur.* appoſita, ſatis ſuperque indicat. Ut non ſecundum rei veritatem, ſed juris quâdam interpretatione, & fictione, hæc procedat regula. Puta, in quantum quod eſt in actionibus petitionibus & perſecutionibus, in bonis noſtris eſſe videtur. *l. bonorum.* 49. *D. de verb. ſignif. l.* 52. *D. de adquir. domin.* Aliter ſi veritatem ipſam ſpectemus, ſi juris rationes examinemus, *minus eſt actionem, quam ipſam rem habere. l. minus.* 205. *D. de Regul. Juris.* Quandoque tamen ad aliquem juris effectum plus continetur actione, quam ipsâ re. Nam ipſa perſonalis actio quæ ad rem tendit mobilem, ſpatio 30. annorum extinguitur, & tamen res mobilis triennio uſucapietur.

An ergo quæſierit quiſpiam, adjunctum externum, quod extra rem eſt eam vel mo-

mobilem vel immobilem faciet? Non faciet quidem ſecundum commentatorem *d. libr. pag.* 157. Neque etiam voluere DD. ut omnes actiones ad rem mobilem tendentes eſſent mobiles, neque id abſolute affirmavit. *Peck.* 5. *de teſtam. conjug.* 30. *Chriſtin. tit.* 7. *art.* 7. *num.* 5. *in not. ad ll. Mechlin.* qui poſt varios *DD. Mol. Coſtal. Charondam.* actiones aut vult dici, mobiles, vel immobiles, inſpecto eo ad quod competunt, & *prout* notanter, *alterutris magis comparantur.* Unde & eam actionem quam quis ad rem immobilem habebat, idque pro vini poculo promiſſam (perſonalem reſpicit actionem) cenſeri mobilem, ſicque in Galliâ judicatum eſſe, refert ibidem.

6. Verum ad accuratum omnium examen me conferam, ſemoto omni odio & affectu, quorum cauſas procul habeo. Amicus mihi Plato, amicus Socrates, amicus Cicero; ſed magis amica veritas, quæ omnibus ſalvo amicitiæ Jure, præferenda. *Grammat. deciſ. Neapol.* 18. *in princ. Cravetta conſil.* 138. *num. fin.*

Licet enim magnoperè me movere valeat auctoritas, ut de ſe ipſo loquitur *Celſus in l.* 7. §. 2. *D. de ſupell. legat.* nudum tamen cujuſquam nomen, nuda aſſertio tanti valere

valere non debet, ut à juris veritate me divelli patiar, ſic loquitur *Matth. Weſemb. conſil.* 319. *num.* 117.

Malim igitur ſecundum mores variorum, & accuratiores juris interpretes congruenter fundamentis legum civilium, rejectis eorum ſententiis, qui hic à nobis diſſentiunt, & pondere momentiſque rationum deſtituuntur, adhibitis quibuſdam diſtinctionibus rem omnem componere. Nam qui benè diſtinguit, benè docet, ſecundum illud vulgatum. Et diviſim traditum eſt magis clarum, & magis capax. *Johan. Faber in rubric. tit. inſtit. de action. Sneidw. ad* §. *omnes actiones. n.* 1. *inſtit. eod.*

Adhibebo ſummam, & primam omnium actionum, de quibus apud judices de quacumque re quæritur, diviſionem; quod quædam ſint in rem, quædam in perſonam conceptæ. Omnes vero regulariter in perſonam conceptæ mihi videbuntur rebus mobilibus adſcribendæ; adeoque meo ſenſu quod debitum eſt actione perſonali, pro mobili habendum erit. Ratio deſumpta eſt à perſonâ, quæ ſtabilis non eſt, & facile domicilium transfert: ut cum actio perſonalis oſſibus perſonæ adhæreat, ibi eſſe intelligatur, ubi perſona ſedem & larem fixit ſuarum fortunarum. Quæ cum variet quan-

quandoque, etiam actio ſitum mutabit. §. 1. *Inſtit. de action. ibique DD. Salicet. in l. cunctos populos.* 1. *num.* 14. *Cod. de Summ. trinit. Sneidwin. ad tit. Inſtit. de ſucceſſ. ab inteſtato. rubric. de ſucceſſ. viri & uxor. num.* 37. 38. *Rauchbar.* 1. *quæſt. jur. Saxonic. quæſt.* 17. *num.* 2. 3. *Poſt Andream de Iſernia. c.* 1. §. *ſciendum de feud. cognition. Schrader. de feudis. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 4.

Quæ ipſa ratio eſt, quod moribus actionum perſonalium nomine ſit ſiſtenda, vel uti loquuntur arreſtanda perſona, cui adhærent actiones. Quæ ipſa ratio eſt, quod perſonales actiones loci ſtatutis, ubi paterfamilias domicilium habet, quaſi eſſent ibidem ſitæ res mobiles, regantur & dirigantur. *l. hæres abſens.* 19. §. *proinde. D. de judic. l. debitor.* 32. *D. de pignor. l.* 41. §. 6. *l.* 44. *l.* 86. *D. de leg.* 3. *l.* 1. 2. *Cod. de rerum & verbor. ſignif.*

7. Si tamen quædam ſint perſonales actiones, quæ naturam actionum realium imitantur, ſaltem ad aliquem juris effectum, de iis tanquam de realibus, ſecundum adhibendam in ſequentibus diſtinctionem, judicium ferendum erit. Tales ſunt in jure noſtro actiones quædam perſonales anomalæ, à naturâ perſonalium in quibuſdam deviantes, quod non præciſe oſſibus

perſonæ adhæreant, verum competant adverſus quemcunque rei de quâ controverſia eſt poſſeſſorem, licet ille nobis non ſit obligatus ex contractu vel quaſi, ex maleficio vèl quaſi, ſed forte ex aliis cauſarum figuris. *l.* 1. *in princ. D. de obligat.* Talis eſt actio quod metus cauſa, perſonalis in rem ſcripta, actio ad exhibendum, actio noxalis & ſi quæ plures ejus conditionis. *l. 9. in fin. l.* 14. §. 3. *D. quod met. cauſ. l.* 3. 4. 5. *D. ad exhib.* §. 5. *Inſtit. de noxal. action.*

8. Quod ſi actiones fuerint in rem, vel eæ afficient rem mobilem, vel immobilem, & ut alii loquuntur, tendunt in rem mobilem vel in rem immobilem. Priori caſu, mobiles judicabuntur, & mobilium jura atque conditiones imitabuntur, idque ratione acceſſionis vel connexionis. Cum enim res mobiles ſint affectæ, neque eæ loco certo ſint affixæ, & lege loci regantur, ubi teſtator vel dominus habet domicilium; ſequetur etiam illas actiones, quæ res mobiles afficiunt, mobilium ſequi naturam.

9. Verum caſu poſteriori, quo actiones dantur in res immobiles, vel eas afficiunt, ut eſt vindicatio rei immobilis, actio hypothecaria, &c. omnes intra rerum immobilium

bilium ordinem aſſumentur. *arg. l.* 3. §. 15. *D. de vi & de vi armat. Nov.* 7. *in princ. verb. hæc ergo.* Hincque etiam ſequentur ductum ſtatutorum loci, ubi illæ res immobiles ſunt ſitæ. Dixi in *tract. de ſtatut. concurſ. ſection.* 9. *cap.* 1. *num.* 11. *ibique plenâ manu DD.* Atque hæc noſtra ſententia, quæ non nova eſt, verum in jure fundata, & inſignium doctorum calculo probata, refertur apud *Tiraquell. de retract. gentil.* §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 8. *vid. Chriſtinæum* 2. *deciſ.* 3. *num.* 3.

10. Quæ num etiam ad res pretioſas mobiles ſit referenda, quaſi illæ immobilium jure cenſeantur, non auderem ſtatuere. Licet enim per ea quæ in anterioribus ſunt adnotata, res pretioſæ ad aliquem juris effectum immobilium ſequantur conditionem, non tamen propterea ad omnem juris effectum dicentur eſſe immobiles; multo minus actiones in res pretioſas mobiles tendentes in ordinem immobilium aſſumentur. *Anton. Matth. de Auction. libr.* 1. *cap.* 6. *in fin.*

11. Quorundam nihilominus locorum conſuetudine ne quidem in rem immobilem tendentes actiones, qualis una eſt hypothecaria ſuper fundo vel ædibus, immobilium jure reguntur. Et ita memini me obſer-

vaſſe in reſponſis quorundam in urbe Bredâ Juriſconſultorum, qui conſtanti ſtylo & praxi in agro Bredano id obſervari reſpondebant, ut hypothecariæ actiones mobilibus accenſerentur; adeoque minorem jure ſuo curatori tales donaſſe vel reliquiſſe actiones, neque eo ipſo in perpetuum Edictum Carolinum impegiſſe, quo cautum, ne minor ulla immobilia curatori ſuo donet, vel ultimâ relinquat voluntate.

CAP. IX.

1. *Circa reditus mores ſingulorum locorum ſunt obſervandi.*
2. *Reditus ſui naturâ nec ſunt mobiles, nec immobiles.*
3. *Stante ſtatuto, quod omnes res ſint mobiles vel immobiles, attamen reditus ſui naturâ conſtituunt tertium bonorum genus.*
4. *Secundum jus Saxonicum reditus dicuntur mobiles.*
5. *Sunt qui reditus omnes immobilibus adnumerant.*
6. *Alii tantum reditus perpetuos pro*

pro immobilibus habent.

7. *Alii reditus annuos ad tempus modicum conſtitutos mobilium legibus comprehendunt.*

8. *Alii omni ſemotâ differentia, eos in mobilium ordinem recipiunt.*

9. *Sententia auctoris profertur; puta, quod reditus perſonales mobilium jure regantur.*

10. *Reditus perſonales activè & paſſivè comitantur perſonam.*

11. *Per reditus perſonales non præcisè eos intelligimus, qui cum perſonâ extinguuntur.*

12. *Qui cum perſonâ extinguuntur, quandoque ex re immobili deberi poterunt.*

13. *Non etiam illi tantum qui perſonæ ſunt debiti, vel à perſonâ.*

14. *Verum illi intelligendi, qui ratione perſonalis obligationis ſunt debiti.*

15. *Quales etiam ſunt penſiones & mercedes locationem.*

16. *Etiam reditus perſonales à teſtatore relicti.*

17. *Quinimo illi reditus quandoque, qui de fundo certo promiſſi ſunt.*
18. DD. *allegantur, & unà diſſentientes.*
19. *Tollitur objectio.*
20. *Reditus è rebus mobilibus debiti, mobilibus accenſentur.*
21. *Reditus ex immobilibus debiti, pro mobilibus habentur.*
22. *Feudum Cameræ & Cavenæ rei immobili adnumeratur.*
23. *Vectigalia, portaria, guidagia, decimæ, penſiones, canones, ſolaria, ex immobilibus quotannis debita, immobilium lege reguntur.*
24. *Omnes reditus ſuper immobilibus tanquam ſuper hypothecâ conſtituti, immobilium in ordinem recipiuntur.*
25. *Munera quæpiam publica, & ex ærario penſiones ſecundum Choppinum, immobilibus accenſentur.*

1. EXigit ordo, ut de reditibus pauca tradam, & omnem circa eos difficultatem

cultatem in compendium redigam, variorum exhibendo ſententias, dein meum ſenſum exprimendo. Multa de reditibus provinciatim & municipatim ſtatutum eſt, referente *Choppino* 1. *de moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 23. Ut cujuſque territorii leges ſint explorandæ, quod quælibet Provincia ſuo abundet ſenſu, ut alibi loquitur *Tiraquell. in materiâ retractus.* Ubi vero nihil certi per legiſlatorem diſpoſitum eſt, ibi cuique pro ingenii moderamine eam tueri atque ſtabilire licet ſententiam, quæ conformiter juris Principiis, & accuratiorum interpretum juris ſententiis, ipſi fuerit viſa probabilior.

2. Sunt itaque, qui ſecuti jus civile, exiſtimant reditus ſui naturâ nec mobilibus nec immobilibus adnumerari, quod tertiam quam ſpeciem ab illis bonorum differentiis ſeparatam conſtituant. *arg. l.* 15. §. 2. *& ſeqq. D. de re judicat.* Neque enim per ſe rerum corporalium veniunt appellatione, ut à mobilibus & immobilibus rerum corporalium differentiis ſpecificis removeantur. *tit. Inſtit. de rebus corpor. & incorpor.*

Eſtque hæc ſententia extra omnem poſita difficultatem, ſi accuratè loquamur, & in ſenſu juris civilis. *Panor. in c. nulli num.*

num. 10. *de rebus Eccleſ. non alienand. Tiraquell. gentil. gloſſ.* 6. *num.* 3. *Molin. ad Pariſ.* §. 94. *gloſſ.* 1. *in verb. Rentes. conſtit. num.* 18. *Guitierr. Pract. quæſt.* 3. *quæſt.* 83. *num.* 7. [illegible] 2. *quæſt.* 146. *num.* 3. *Berlich.* 3. *concluſ.* 34. *num.* 5. *ibique D D. Theodorus Reinckinck de retract. conſanguin. quæſt.* 2. *in quibus rebus jus protimiſeos obtineat. num.* 75.

3. Stante vero ſtatuto ſeu conſuetudine, quod quæ ſunt vel eſſe intelliguntur in ordinem mobilium vel immobilium recipi debeant, diſſonæ inveniuntur dd. opiniones, circa redituum ſequelas & effectus: neque enim rerum naturæ per legiſlatoris diſpoſitionem immutari poterunt. *Argum.* §. *fin. in fin. Inſtit. de legitim. agnat. tutel.* & §. 2. *verb. nec enim potuit. Inſtit. de uſufr. l.* 2. *D. de uſufruct. earum rerum quæ uſu. conſum.*

4. Secundùm jus Saxonicum, reditus cenſuſve rei immobilis, mobiles eſſe ſanciuntur, referente *Choppino libr.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 23. qui in reliquâ Germaniâ eoſdem immobilibus rebus aſſociari ſcribit. Poſt *Mynſing.* 1. *obſ.* 69.

Hanc ſententiam ita Juriſconſulti Germani explicant, quod annui reditus conſtituti cum pacto de retrovendendo pro

mobi-

mobilibus in Saxoniâ ſint habiti, atteſtante *Schurff.* 3. *conſil.* 72. *num.* 5. *Thoming. deciſ.* 3. *num.* 9. Idem tamen noviſſimâ Saxoniæ conſtitutione abrogatum eſſe ſcribit *Koppen deciſ.* 24. *num.* 10.

5. Sunt qui reditus inſuper habitâ eorum differentiâ immobilibus accenſent, idque in caſu quo ſecundum locorum ſtatuta res ſunt vel mobiles, vel immobiles. Quoniam, inquiunt, ut plurimum ex immobilibus debentur. Ita *Panormitan. in can. nulli. extra de rebus Eccleſ. non alien. Tiraquell. de retract. gentil.* §. 1. *gloſſ.* 6. *verb. Rentes. num.* 4. *Schraderus de feudis. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 2. *Myнſ.* 1. *obſ.* 69. *Montan. de tutel. cap.* 33. *num.* 123.

6. Sunt qui reditus perpetuos annuatim debitos faciunt immobiles, idque ſecundum juris civilis fundamenta, quibus poſitis, ex immobilibus debiti, immobilibus adſcribuntur. *l. fin.* §. *preterea. Cod. de jure dotium. l. jubemus* 14. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Auth. de non alienand. rebus Eccleſ.* §. *vult. igitur. Clement. exivi.* §. *cumque de verb. ſignificat. c. querela. de elect. Specul. de reſtit. Spoliat. verb. ſed adhuc. Tiraquell. de retract. gentil. gloſſ.* 6. *ibique DD. Conſuetud. Burgund. tit. de retractu.* §. 8. *Gregor. Tholoſan. Synt. jur. univerſ. libr.* 1. *c.* 9. *in fin. &* 26.

cap.

cap. 2. vid. Chaſſan. ad Burgund. 5. rubric. de redit. vendit. §. 1. in princ.

7. Unde ſi reditus annui ad tempus modicum conſtituantur, eos legibus mobilium complectuntur. *Alciat. in l. moventium. D. de verb. ſignif. Gabriel Commun. concluſ. 6. tit. de verb. ſignif. concluſ. 8. num. 3. Mynſing. 1. obſervat. 69. num. 12. Vincent. de Franchiſ. deciſ. Neapolitan. 262. num. 7. Rodericus de annuis reditibus. 1. quæſt. 3. num. 10.*

Quorum ſententia tum demum probabilis viſa fuit *Gregorio Tholoſano in Juris ſui Syntagm. libr. 1. cap. 9. num. 6.* cum illa penſio ad modicum eſt duratura, & ex earum eſt genere, quæ ſunt redimibiles, id eſt quæ ſopiri poterunt & aboleri, redemptione vel reſtitutione ſortis mutuatæ, vel ſi ex iis ſunt reditibus, quos Galli appellant, *rentes volantes, conſtituées à prix d'argent.*

Ut ſecus obtinere debeat, & etiam obtineat, ſi de ſolari juris cenſu agatur, quam nominant, *rentes foncieres.* Sicuti in Brabantiâ perpetui cenſus reditus, eodem jure, quo immobilia cenſentur, referente *Choppin. 1. de Mor. Pariſ. tit. 1. num. 23.*

8. Sunt qui reditus ſemotâ omni differentiâ in mobilium numerum referunt, per ea

ea quæ tradit *Salicetus in l. jubemus.* 14. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. num.* 4. *in med.*

9. Si hic & meum conferre auſim ſymbolum, & quid ni audebo, non mihi videbitur ſine diſtinctione difficultas poſſe ſuperari, quæ circa reditus inter interpretes fecit diſſenſum. Vel enim reditus ſunt perſonales, qui in merâ perſonali conſiſtunt præſtatione, neque rem habent ſibi ſubjectam, vel affectam, è quâ ſint debiti; & non aliter atque perſonales actiones in ordinem mobilium recipiuntur, etiam hi reditus legibus mobilium regi debebunt. *Andreas de Iſerniâc.* 1. §. *ſciendum. de feud. cognit. Schraderus de feud. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 3.

Cum enim nonniſi in perſonâ, vel perſonaliter uti loquuntur ad eos præſtandos debitor ſit obligatus, vel annuatim, vel prout ex conventione vel ultimâ voluntate, termini ſolutioni deſtinati ſunt præſcripti: *l.* 3. 5. *& ſeqq. D. de annuis legat. & fideic.* adeoque iſti reditus activè & paſſivè perſonam ſequantur; quod indicium eſt eos mobilium bonorum imitari naturam; perſonam ubique comitentur, & loci legibus regantur, ubi perſona domicilium habet. *Bald. in l. Mercatores. Cod. de Commerc. Gail.* 2. *obſ.* 124. *num.* 8. *Conſultat. Juriſc.*

Bata-

Bataviæ. part. 3. *conſil.* 196. *num.* 1. conſequetur per evidentem illationem tales reditus mobilium ſeriei inſerendos eſſe.

Ut enim perſona ſtabilis non eſt, & domicilium mutando ad ſe trahit mobilia, etiam alibi ſita, per DD. ita etiam reditus ſeſe ad perſonam obvertent, & tanquam ejus ſequela domicilii noviter per eam aſſumpti jure regentur. *Argum. l.* 3. §. 13. 15. *D. de vi & de vi armat.* Neque enim quod ſequitur alterius ordinis eſſe poterit, cum eo quod ſequitur; & ſolet ſe pediſſequa genio & ingenio dominæ conformare; ſicuti adjunctum ſubjectum imitatur, & acceſſorium naturam ſui principalis, per jura vulgata apud *DD. in l. cum principalis. D. de regul. juris. & Vaz. Barboſ. Princ. & loc. comm. jur. utriuſque lit. a. num.* 7.

10. Dixi, reditus perſonales, paſſivè & activè comitari vel ſequi perſonam, id eſt & debitorem & creditorem. Debitorem, in quantum ille perſonaliter eſt obligatus, ex contractu vel quaſi, ex maleficio vel quaſi, ſic ut iſti reditus à perſonâ ſint debiti, quæ nonniſi perſonali actione conveniri poteſt, non vero aliquot ejuſdem bona quaſi affecta forent, excuti, ſaltem non immobilia. Creditorem, in quantum is nonniſi actione perſonali experiri

poteſt,

poteſt, vel ejus hæres, vel qui ab eo cauſam habet, cui ſuam actionem ceſſit. Etiam, in quantum ſi agatur de ſucceſſione in bona creditoris, ſequi cogimur loci ſtatutum ubi creditor defunctus domicilium habuit.

11. Ad evidentiorem autem noſtræ deciſionis intellectum obſervandum eſt per reditus perſonales non eos intelligi, qui cum perſonâ cui debentur extinguuntur ad inſtar uſusfructus; quales ſunt reditus alimentorum per legata vel aliam quam ultimam diſpoſitionem alicui relictorum. Qui ſicuti relicti legatarii contemplatione, in quem affectus cadebat, cuique conſultum voluerat teſtator, quoad ille viveret, ita mortuo legatario ad hæredem legatum non tranſibat. *l.* 4. *D. de annuis legat. l.* 22. *D. de uſu & uſufr. legat.* Niſi tamen evidens fuiſſet teſtatoris voluntas, legatum in annuas penſiones ideo dividentis, quoniam non legatario, verum hæredi proſpectum voluit, (puta ſuo) ne ſimul ad ſolutionem urgeretur. *l.* 12. §. 4. *D. quand. dies legat. cedat.*

12. Et ſi enim tales reditus qui cum perſonâ extinguuntur quandoque ſub noſtris perſonalibus ſuper quibus hic quæſtio movetur, contineantur, non tamen eo ſenſu noſtri dicuntur perſonales. Præterquam quod

quod non omnes alimentorum reditus noſtro ſenſu ſint perſonales, quod etiam ex re immobili, puta fundo vel prædio quandoque ſint debiti; ſicuti certa quantitas frumenti, ex fundo Tuſculano quotannis debetur, dum teſtator loco demonſtrationis, & quaſi in ſecuritatem annui cujuſdam reditus fundum adjecit. *l.* 13. *D. de tritic. vino oleo. l.* 12. *D. de aliment. legat.*

13. Non inſuper per reditus perſonales eos tantum deſignari volo, qui perſonæ ſunt debiti, vel præcisè à perſonâ. Quoniam & perſonales appellari merentur, qui debiti ab univerſitate, modo ex contractu, vel quaſi, ex maleficio, vel quaſi. *l.* 7. *D. quod cujuſque univerſ. nomin.*

Sicuti propterea univerſitas vel municipium debiti nomine conventum, miſſionem in bonorum poſſeſſionem quandoque patitur. *Arg. l.* 15. 16. *D. de verbor. ſignif. l.* 15. §. 2. *ſed in vectigali.* 27. *D. de damn. infect. Gloſſ. in l.* 1. § *fin. D. quod cujuſque univ. nomine.* Quemadmodum etiam perſonales appellari merentur, qui ab hæredibus defuncti, templo vel Eccleſiæ, vel civitati perpetuo debentur. Quod gentilibus infrequens non erat, ut templo vel civitati reditus relinquerent, (non ſemper ſub hypothecâ bonorum, quaſi ea pro eo-

rum

rum præſtatione eſſent obligata,) ab hæredibus obligatis perſonaliter quotannis perſolvendos. *l.* 21. §. 3. *D. de annuis legat.*

14. Ut hic per reditus perſonales eos ſolummodo deſignari velim, qui ſunt debiti ratione perſonalis obligationis uti loquuntur; qualis eſt ea, quæ oritur ex contractu, vel quaſi, ex maleficiis vel quaſi. *l.* 1. *D. de obligat. & action.* Tales ſunt uſuræ, quæ ratione mutuatæ pecuniæ quotannis ſolvuntur, debitæ propter pecuniam mutuo datam, quæ nonniſi actione perſonali repeti poteſt. Et quidem uſuræ, debitæ ex pacto vel ſtipulatione, vel morâ, vel per litis conteſtationem, prout hoc exigebat natura contractus, ut tamen non niſi actione perſonali petantur. Quales reditus Gallis conſtituti dicuntur *à prix d'argent*. Quorum nomine immobilia bona non ſunt tranſlata vel affectata. *Petr. Gregor. Tholoſan. Synt. juris univerſ. libr.* 1. *cap.* 9. *num.* 6.

15. Tales etiam cenſentur penſiones, & mercedes è locationibus rerum mobilium, vel etiam agrorum vel ædium perceptæ, vel percipiendæ; quod nonniſi ex contractu ſint debitæ, adeoque actione in perſonam petendæ, licet occaſione rei, & propter fructus, vel uſum præſtandæ. *In princ.*

princ. Inſtitut.de locat.& condict. l.3.Cod.eod.

16. Tales inſuper videri poterunt reditus, qui à teſtatore ſunt relicti & ab hærede legatario præſtandi, ſi modo non ex certo fundo, vel bonis immobilibus ſint relicti, ut nonniſi perſonali actione ad eorum perſolutionem conſtringi potuerit hæres; de quibus forte *l.21.§.3. D. de annuis legat. & fideic. & l. 16. D. de uſu & uſufr. & reditu legat.*

17. Tales ſunt reditus, alicui promiſſi, de fundo, ſi forte fundus gratia taxationis, fuerit adjectus, non ut pro reditibus promiſſis eſſet obligatus. Qui reditus quia nonniſi ex obligatione ſunt debiti, & perſonali tantum actione petendi non onerabunt fundum, vel ejus poſſeſſorem.

Ut ſi fundus ex causâ emptionis à promiſſore redituum, in emptorem ſit tranſlatus, ſine ullo onere, in eum tranſeat. Textus eſt notabilis *in l. fin. D. de contrah. emptione. Lucius Titius promiſit de fundo centum millia modiorum frumenti annua præſtare prædiis Caji Sei: poſtea Lucius Titius vendidit fundum, additis verbis :* quo jure, quâque conditione ea prædia Lucii Titii hodie ſunt, ita veniunt; itaque habebuntur: *Quæro an emptor Gajo Sejo ad præſtationem frumenti ſit obnoxius? Reſpondit, emptorem*

rem Gajo Sejo, ſecundum ea quæ proponerentur, obligatum non eſſe. Ratio deciſionis eſt *in l.* 1. §. *ſi hæres.* 16. *verb. neque enim. D. ad Senatuſc. Trebellian.*

18. Confer adhæc omnia quæ hactenus ad noſtræ ſententiæ elucidationem adduximus, DD. non omnino à nobis, ſaltem non à noſtris fundamentis recedentes. *Zaſium de feud. part.* 4. *num.* 10. *& ſeqq. Cravettam conſil.* 782. *num.* 7. *Schraderum de feud. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 8. *Sneidwin. ad tit. Inſtit. de ſucceſſ. ab inteſtat. rubric. de ſucceſſ. viri & uxor. tit.* 1. *num.* 38. *Gabriel. comm. concluſ. tit. de verb. ſignif. concluſ.* 7. *num.* 4. *Vultej. de feud. cap.* 5. *num.* 9. *in med.*

Diſſ. Tiraquell. de retract. gentil. §. 1. *gloſſ.* 6. *verb. Rentes. num.* 12. 13. *& varii apud Berlichium* 3. *concluſ.* 34. *num.* 14. 15. 16. qui tum demum reditus in ordinem mobilium transferunt, cum ſors à creditore poteſt repeti & recuperari. *Berlich. d. concluſ. num.* 34. *ibique DD.*

Quæ ſententia non tam noſtris congrua eſt moribus, quam quidem juri canonico conformis, quo ſors per creditorem nequit peti, licet in debitoris ſit arbitrio eandem in genere quantitatem ſolvere, per textum generalem in *Clement. exivi. col.* 7.

verb. cumque annui reditus. de verb. ſignificat. Videtur tamen idem *Tiraquell.* nobiſcum facere, & parum ſibi conſtare, ut qui in *d. gloſſ. 6. num.* 11. eos reditus mobilibus adnumerat, qui in merè perſonali conſiſtunt præſtatione.

19. Neque obſtabit noſtræ ſententiæ, quod annui reditus uſufructui comparentur, qui cum rebus immobilibus accenſeantur, etiam reditus iiſdem applicandi videbuntur. Neque enim omnem uſumfructum rebus immobilibus comparari, vel immobilium jure regi, in anterioribus ſatis ſuperque probavimus, per *l.* 3. §. 13. §. 15. *D. de vi & de vi armat.*

20. Poſt redituum perſonalium explicationem agendum eſt de reditibus, è rebus debitis, ſive illæ ſint mobiles, ſive immobiles. Et quidem qui debiti ſunt è rebus mobilibus, eorum nomine affectis, obligatis, vel tranſlatis, proculdubio naturam mobilium ſequentur, adeoque mobilibus adſcribentur: nam partus ſequitur ventrem, filia matrem, & cujus juris eſt cauſa, ejuſdem etiam juris cenſebitur effectus. *arg. princ. Inſtit. de ingenuis. l.* 1. *Cod. de rei vindic. l.* 1. *Cod. de pact. pignor. nov.* 156. 162.

21. Quod eos ſpectat reditus, qui ſuper

fixis

fixis & ſtabilibus corporibus ſunt conſtituti, vel ex iiſdem debiti corporibus quæ pro redituum præſtatione ſunt affecta & obligata, ſic ut ex iis immobilibus ſint ſolvenda quotannis, vel aliter, illos omnes jure merito in immobilium ordinem tranſtuleris; idque vi & naturâ ſui acceſſorii, quod ſequitur ductum principalis. Quo referri debebunt de jure Romano panes civiles, certæ penſitationes militibus debitæ, propterea rebus immobilibus adnumeratæ, quia ex eorum collatione, qui poſſeſſiones, vel res ſoli tenebant, adeoque ex ipſis poſſeſſionibus erogabantur. *l. jubemus.* 14. *in princ. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Nov.* 7. *nov.* 88. *cap.* 2. *nov.* 120. *cap.* 1. *Barboſ. ad d. l.* 14. *num.* 6. 8. *ita fere, Herbajus rerum quotid. cap.* 10. *in fin.*

22. Non aliter atque in jure feudali, quæ ex arcâ, vel cellario domini præſtantur annonæ, (illud feudum *Cameræ*, hoc *Cavenæ* appellatur) itidem immobilibus adnumerantur. *vid.* 2. *feudor.* 1. *& Cujac. in comment. ad libr.* 1. *feud. tit.* 1. *in princ. Giphan. in antin. juris feudal. diſp.* 3. *num.* 34. *& ſeqq.*

23. Similiter ad immobilia referri debebunt vectigalia, guidagia, portoria, & quæ ſunt hujus generis alia. *Baldus in c.* 2.

de feud. cognit. & in §. 1. *quæ ſint regalia.* Decimæ, penſiones, ſolaria, canones ex immobilibus ex agris emphyteuticis quotannis debiti. *Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ.* 3. *Sneidwin. ad tit. Inſtit. de ſucceſſ. ab inteſtato. rubric. de ſucceſſ. viri & uxor. tit.* 1. *num.* 37. 38. *poſt Alciatum in l. moventium.* 93. *D. de verbor. ſignificat. Jaſonem* & alios *in l. ſciendum.* 15. *D. qui ſatiſdare cogant.*

Cenſus ex bonis immobilibus debiti, inſuper habitâ diſtinctione an ſint redimibiles, an non redimibiles, an debiti ad tempus, an in perpetuum. *Vincent. Caroc. de excuſſ. bonor. quæſt.* 44. *ſecundo part. num.* 3. *Chaſſan. ad conſ. Burgund. tit. de retract.* §. 8. *verb. rentes & cenſes.* vid. *Giurbam part.* 1. *obſ.* 14. *num.* 13. *& ad Meſſan.* 12. *Gloſſ.* 5. *part.* 1. *num.* 9.

24. In genere omnes ſuper immobilibus tanquam ſuper hypothecâ conſtituti reditus, & ex iiſdem præſtandi, in immobilium locum ſuccedunt, ſive à lege, ſive à teſtatore in ultimâ voluntate ſive pactione inter vivos, ſint conſtituti, ſive judicis officio ex iiſdem aſſignati.

Eoque refero varias è Corpore Juris depromptas leges. *l.* 17. §. 1. *D. de annuis leg. & fideic. l.* 20. *l.* 21. *in princ. D. eod. l.* 17. 22. 38. *D. de uſu & uſufr. legat. l.* 85. §. *item*

4.

4. verb. pro quo. D. de verb. obligat. ibique Bartol. l. 26. D. quand. dies legat. l. codicill. 18. D. de annuis legat. & fideic. l. codicill. 34. D. de uſu & uſufr. legat. l. 4. l. 22. D. de aliment. legat. vid. Menoch. 2. arbitr. 69. Everhard. conſil. 156. num. 2. Bald. in c. 1. §. ſciendum. de feud. cognit. & idem cum Bartol. Jaſon. Alexandr. in l. ſciendum. 15. §. 3. 4. D. qui ſatiſd. cogant: junct. l. fin. §. fin. D. de contrah. empt. Cravett. conſil. 782. num. 3. Surd. deciſ. 204. num. 1. Joſeph. Ludovic. comm. concluſ. 48. num. 64. Choppin. 1. de Moribus Pariſ. 1. num. 19.

Hancque communem eſſe opinionem, juri & rationi conformem, dicit. *Peregrin. 1. conſil. 43. num. 9.* Nam qui reditus ita debentur ex immobilibus ipſa afficiunt prædia, quæ tacite obligantur, licet id expreſſum non ſit. *Bartol. in l. codicillis. 34. D. de uſu & uſufr. legat. num. 2. vid. Bernhard. Græv. 2. practic. concluſ. 10. num. 6. Theodor. Reinckinck de retract. quæſt. 3. in quibus rebus jus protimis. num.* 84. 85. Et ſibi ex parte contrarius *Tiraquell.* illos reditus, qui debentur ſuper re immobili quæ illis præſtandis eſt obligata, immobilibus adnumerat, idque ad aliorum excluſionem. *per DD. allegato in ſuo tract. de retract. gentil. Gloſſ. 6. num. 11.*

25. Penſiones inſuper ex ærario, munera publica, è quibus ſtipendia debita, munera hæreditaria, ſub penſione annuâ, de regiis vectigalibus prædiiſve aucta, tanquam ex rebus ſoli, immobilibus adſcribit *Choppinus*, ut propterea in iis ſicuti in cæteris immobilibus juri retractus locum faciat. Si tamen fuerint munera non hæreditaria, ea tam diu lege Pariſienſium immobilium jure regentur, quamdiu ab officiali poſſidentur. *Choppinus* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 19. 33. 36. 37.

CAP. X.

1. *Nonnulli reditus à Provinciis vel municipiis debitos immobilibus adſcribunt bonis.*
2. *Sententia eorum rejicitur.*
3. *Regulæ certæ traduntur ut omnis tollatur difficultas.*
4. *Auctor ſententiam quam antea tenuit, magis explicat, & illuſtrat.*
5. *Moribus Hollandiæ reditus Provinciarum mobilium jure reguntur.*

1. Ve-

1. VErum quid erit ſtatuendum de reditibus à Provinciis, vel Municipiis, vel collegiis licitis perſolvendis, vel præſtandis annuatim? Qui aliorum hic ſcrinia compilarunt, *Choppini* præſertim, de moribus quorundam Gallorum differentis, redituſque ſuper dominiis Regis conſtitutos immobilibus adſcribentis. 1. *de mor. Pariſ. tit.* 1. *num.* 23. illi ſimiliter à Provinciis, vel civitatibus debitos reditus, immobilium legibus ſubjiciunt.

2. Verum ſi rem omnem rectâ putemus viâ, & ad incudem legum & rationis omnem cauſam deferamus, dicendum videtur eos omnes reditus, qui non è ſtabilibus debentur corporibus, quique ſuper Provinciarum, municipiorum, collegiorum bonis non ſunt fundati, quorumve nomine bona univerſitatis immobilia, vel quæ immobilium loco cenſentur, neque expreſsè neque tacitè ſunt obligata, ſive pro ſorte, ſive pro reditibus ſortis reſpectu debitis, ſive pro utriſque, in ordinem perſonalium redituum eſſe referendos, per ea quæ ad *num.* 13. *&* 14. capitis præcedentis allegavimus.

Et ſi enim fiſcus ſit res ſtabilis, id eſt de quo metus non eſt, ne fuerit ſolvendo, ut propterea de jure Romano in cauſâ judiciariâ

ciariâ non teneatur ſatiſdare, ſicuti nec legatorum nomine, ſi ſcriptus ſit hæres. *l.* 6. §. 1. *D. ut legat. nomin. caveat:* non tamen propterea omnis in fiſcum actio, vel petitio, ratione cujuſdam nominis vel juris perſonalis immobilium numero adſcribi debebit.

Ne dicam non quæcunque privilegia, vel jura fiſci ratio vel patrimonium Princeps habet, applicanda eſſe civitatibus, aliiſque collegiis licitis, ut quæ omnia privatorum jure regantur. *l.* 16. *& ſeq. D. de verbor. ſignif.*

Nam ſi reditus à civitatibus vel collegiis debiti propterea dicerentur immobiles, quod civitates vel collegia corpora ſint ſtabilia, deſumptâ denominatione ab iis, à quibus debentur, conſequetur ex rationis parilitate, actionem ex quocunque contractu cum civitate vel collegio inito natam, immobilium ordini ad ſcribi. Ut ſi Collegium, ſi Univerſitas Advocato, vel Miniſtro publico, ſalarium promittat annuum, vel debeat aureos centum ex pollicitatione, vel ad mercedem præſtandam operariis ſit obligata, ad omnia prænominata, quæ perſonalis eſt actio, judicari debeat immobilis. Quod cum ſit à juris ratione abſonum, quivis facile percipit perperam quoſ-

quoſdam confundere reditus ſuper immobilibus & ſtabilibus corporibus conſtitutos, & ex iiſdem debitos, cum reditibus vel penſionibus ab immobilibus & ſtabilibus corporibus, id eſt à civitate ab univerſitate promiſſos vel debitos. Quod illi quidem, non iſti ſemper, immobilium jure cenſeantur. Id quod proculdubio animadvertit *Tiraquellus*, eorum refutans ſententiam, qui quia reditus à fiſco vel publico debebantur, propterea eoſdem immobilibus bonis adſcribebant, *Tiraquell. de retract. gentil. p. 1. gloſſ. 6. num.* 14.

3. Exiſtimarem propterea, ſequentibus adhibitis regulis, omnem quam commodiſſime tolli poſſe difficultatem, ſi quæ ſupereſſe videbitur.

I. Si pro reditibus à Provinciâ, civitate, municipio, collegio cuiquam debitis, vel etiam pro ſorte, vel utriſque bona immobilia vel quæ immobilium lege reguntur, ſint affecta, vel obligata, & quidem cautionis inſtrumento, ſicuti ſæpe fieri conſuevit, hoc expreſſum fuerit, illi reditus immobilium jure regentur. Id quod procedit, ſi domania vel Provinciæ, vel civitatis in redituum ſortiſve, vel utriuſque ſecuritatem ſint oppignorata; non forte ſi impoſitiones Communitatis, quæ potius mo-

mobilibus adnumerabuntur. *vid. Goris* 2. *adverſar.* 3. *num.* 7. *Neoſtad. de feud. Holland. cap. fin. num.* 27. *Chriſtin. volum.* 1. *deciſ.* 127. *num.* 13.

II. Si quando Ordinum Provincialium conſtitutione cautum, vel generali conſuetudine inductum eſt, vel rerum perpetuò ſimiliter judicatarum auctoritate probatum, ut reditus, ſive vitales, ſive perpetui, à Provinciis vel Collegiis debiti, vel promiſſi, quoad aliquem juris effectum, vel etiam ad omnem juris effectum, immobilibus adnumerentur, tum extra dubitationis aleam ea res eſt conſtituta, quod deciſione Superiorum finem controverſiarum acceperit. *arg. l.* 1. *D. de Princip. Conſtit. l.* 32. 35. 38. *D. de legibus. artic.* 12. *Ordinat. deciſoria Ordinum Ultrajectinorum ann.* 1659. *April.* 14. *vid. Burgund. ad Conſuet. Flandr. tractat.* 2. *num.* 31.

Non tamen inferendum erit, quando reditus ad aliquem juris effectum immobilibus adnumerantur, ea propter eoſdem immobiles abſolutè appellandos, ut per omnia immobilium lege gubernari debeant. Ita dum ſecundum præfatam Ordinum noſtrorum deciſionem reditus immobilibus accenſentur, non tamen eorundem tranſlatorum vel abalienatorum nomine quadra-
geſimus

geſimus nummus ſolvitur, vel deſideratur ut coram lege loci, apud acta cautionis inſtrumentum tradatur, vel transferatur; ſtatuendum erit eoſdem, reſpectu illorum effectuum, mobilium legibus gubernari. *d. articul.* 12.

III. Si quando Ordinum conſtitutionibus cautum eſt, ut de reditibus annuis vel perpetuis, vel vitalitiis, à Provinciâ vel Civitate debitis, tranſlatis, vel alienatis 40. pendatur nummus, vel 20. aut 30. ex hæreditate collateralium fiſco inferatur, tunc illi ipſi reditus ad eum juris effectum immobilibus adnumerari debebunt. Hanc enim notam eſſe, & genuinum ſignum, unde colligere liceat aliquid eſſe immobile, vel jure rei immobilis cenſeri, quando certa & evidens deciſio in contrarium non extat, quondam in meo *tract. de Statut. eorumque Concurſu*, fueram opinatus.

4. Neque me iſtius opinionis etiamnum pœnitet, cum nec cujuſquam auctoritas, me magnopere movere poſſit, ut à ſuſcepta recedam ſententiâ, eamque in meliorem reformem. Ratio enim generalis pro me militat, quæ deſumpta eſt à ſigno, quod indicat ſignatum, & per quod tanquam per indicium ſignatum ſubeſſe colligitur. Ut cum rei tranſlatæ nomine debeatur num-
mus

mus 40. etiam eam immobilem certo indicio colligatur. *arg. l.* 1. §. *ſi intelligatur.* 6. *D. de ædilit. edict.* & per jura vulgat. apud *Vaz. Barboſ. Princ. & loci comm. ad litt. S. n.* 8. *& Auguſt. Barboſ. de axiom. juris litt. S.*

Cum enim Ordinum Ultrajectinorum Conſtitutione anni 1637. Frebruar. 16. ſuper nummo 30. & 40. cautum ſit, ut omnium immobilium nomine, eorumque quæ ibidem immobilibus adſcribuntur, (licet ſui naturâ immobilia dici nequeant,) ab hæredibus à latere ſuccedentibus fiſco inferretur nummus 30. & ſiquidem immobilia ſint hypothecæ ſuppoſita, vel alienata, nummus 40. idque ad excluſionem bonorum mobilium, quæ prædicto oneri non ſubjacent, quorumve nomine vel 30. vel 40. nummus publico non infertur, exceptis quibuſdam caſibus artic. 6. præfatæ conſtitutionis expreſſis. Evidenter conſequebatur, argumentum, à nummo 30. vel 40. deſumptum, ſtante tali conſtitutione, tanquam à ſigno & notâ deſumptum, valide concludere. Ut quorum nomine non penditur nummus 30. vel 40. ea ab immobilium ordine ſint removenda. *argum. artic.* 1. *dict. conſtit.* Cui in multis conſonat Ordinum Hollandiæ Conſtitutio ann. 1598. Decembr. 22. & ann. 1599. Decembr. 18.

Ex

Ex quibus conſtitutionibus, tanquam argumento evidenti colligere intendebam, ſeparandos eſſe annuos quoſdam reditus à Provinciis vel aliis ſtabilibus corporibus debitos, quibus abalienatis 40. nummus fiſco ſolvitur (certum indicium eos contemplatione illius effectus immobilium jure cenſeri) tales inquam ſeparandos eſſe, ab illis reditibus, qui ab onere nummi 40. ſunt immunes; qui propterea mobilium naturam imitantur, & eorum numero adſcribuntur.

Nam quando Conſtitutiones quoſdam reditus à privatis debitos immobilibus adnumerant, etiam eo ipſo tales abalienari vetant, vel coram lege loci transferri, niſi prius fiſco illata ſit quadrageſima pars pretii, artic. 9. 10. dict. Conſtit. Ultraj. nec tamen iis reditibus adjiciunt, Provinciarum vel Collegiorum reditus; quorum divenditorum intuitu non penditur certa pretii pars: nihil aliud inferri debebat, quam quod ipſi Ordines, ſtante tali conſtitutione, tales reditus in immobilium ordinem recipere noluerint. Quo etiam facit quod quando de nummo 40. quid dictat ſtatutum, non alium locum ſpectari velint circa ſolutionem dicti nummi 40. quam ubi immobilia ſunt ſita. *Burgund. ad conſ. Flandr.* 4. *num.* 20. 26. 27. Certum indicium, eo ipſo

ipſo quo nummus penditur quadrageſimus rem in bonis immobilibus æſtimari.

5. Et ne cuiquam hæc nova videri poſſit opinio, cogitandum erit, idem quod in tractatu meo de *Statut. Concurſ.* indicaveram, non ubique receptum eſſe, ut Provinciarum reditus immobilium lege regantur. Non ſaltem in vicinâ Hollandiâ, ubi omnes illos reditus redimibiles, qui vel ab Ordinibus Generalibus, vel ab Ordinibus Hollandiæ, vel Civitatibus vel Collegiis debiti, tam circa ſucceſſiones ab inteſtato, hæreditatis diviſionem, ſeu familiæ erciſcundæ judicium, quam circa exequendi modum, mobilium ordini adſcribi; non aliter atque omnes aliæ perſonales, uti loquuntur, obligationes, quæ conſtitutæ ſunt ſenſu Gallorum, *à prix d'argent*. Atque ita rogati reſponderunt viri Conſultiſſ. Martinus vander Goes, Joh. van Tongeren, in Conſilio dato 18. Nov. 1664.

CAP. XI.

1. *Novis caſibus novæ ſunt applicandæ deciſiones.*
2. *Ut non ſemper quod novum reprobandum.*
3. *Argumentum vindicatur à nummo*

mo quadrageſimo deſumptum.

4. *Mobilia ad aliquem juris effectum immobilibus comparantur, nec tamen naturam mutant.*

1. VErum quandoquidem ſalvo jure amicitiæ ab amico amicus diſſentit nonnunquam, eadem licentiâ, quâ quis mea ſubjecit examini, mihi itidem licebit eundem preſſo ſequi pede. Quod ita me facturum confido, ut nemini anſam ullam calumniandi ſim præbiturus, vel ullius offenſæ me incuſandi. Et quidem principio ad incudem ea revocabo, quæ ſuo tractatui ad Novellas Ordinum Ultraj. deciſiones inſertas voluit D. Weſel, Advocatus ſatis diſertus, dum naturam redituum à Provinciâ debitorum ad artic. 12. explicare contendit. Ubi inter cætera quæ parum aut nihil meam hactenus explicatam premunt ſententiam, p. 157. n. 8, præjudicio eam in anteceſſum voluit oppreſſam, dum eam tanquam inauditam vel *planè novam* appellat. Quæ tamen vel ideo non meruit appellari nova, quod emergentes novos caſus, qui antea relicti fuerant indeciſi, ad veritatis trutinam examinet.

Et quanquam non adeo licentioſe loqui audeam, ut hoc dicam eſſe meum, illud

novum à nemine excogitatum, quod non omnium DD. ſententiam habeam in parato: illud tamen citra jactantiam affirmare auſim, me circa caſum à me propoſitum nullam antiquorum vel neotericorum legiſſe deciſionem, à quâ ego quaſi novator ſeceſſum primitus feciſſem. Multas edere formas natura novas deproperat, teſte Imperatore in *l. unic.* §. 18. *Cod. de veteri jure enucleand.* Quibus ſi remedium adhibeat legiſlator, de quibus rogatus ſi reſpondeat juris Antiſtes, nihil præter officium fecerit, neque eum circa caſum, in quo diſſentientes habere non potuit, quia in certâ hypotheſi indeciſum, agitavit novaturiendi animus, vel lubito ſeceſſum ab aliis faciendi, quos infra omnem invidiam collocatos noverat. Ut nemo ſit onerandus invidioſo quo novatoris titulo, niſi Medico jure merito exprobaveris, quod novis morbis indies emergentibus, inſolita remedia adhibeat. Unde ſi nova ſit noſtra hypotheſis quam citra cujuſquam injuriam placidæ ſubjeci examini, *nemo mirabitur ſi quoque novum* conſilium ſuggeram. *l.* 1. *in princ. D. de ventr. inſpiciend.*

2. Accedit non omne quod novum eſt, eo ipſo antiquâ re cenſeri deteriorem, vel quod antiquius eſt omni novitati præferendum

dum eſſe. Ne aliter, & mendax, & deceptor, & alius quantumvis malus ad antiquitatem provocaret. Et ſi quiſpiam id unquam admiſerit, ut ſola novitate ſententia quævis improbetur, vel quod quis ab iis quos minus celebres judicavit, receſſerit, jam vicerit in jure noſtro communis opinio, vicerit communis error, quem ſæpe rabulæ quidam forenſes, vultures togati, ſi non vulturibus pejores, quod vivos exſangues & exſuccos faciant, in jure minus verſati, tanquam ſervum pecus, ſequuntur. Si quæ ſententia antiqua eſt, modo damnoſa, reprobetur, ſi quæ nova, modo vera, vel probabilis, aſſumatur. Ne conſuetudo erronea, quæ antiquitate ſuâ laudatur, ſecundum canoniſtas appelletur erroris vetuſtas.

3. Verum relicto hoc præjudicio, rem ipſam examini ſubjiciam, utque ea magis innoteſcat, caſum à me explicatum in libr. de *Statut. Concurſ.* ad oculum exhibebo. Quæſitum fuit, (ſtante ſcil. ſtatuto, quod omnium bonorum immobilium nomine, vel eorum quæ immobilibus adnumerantur, 40. nummus penderetur,) num procedat argumentum, quod ex quibus bonis non ſolvitur nummus 40., ea ſint mobilia vel ſaltem mobilium in numerum referri

debeant? Fateor me nondum percipere, quid ad hoc argumentum reſponderi poſſit; id enim mihi viſum fuit plus quam probabile. Quinimo, audacter loquar, & ex omni parte id eſſe firmiſſimum adverſus peritiores lubens & facile tuebor. Si enim Ordines decernunt ut ex omnibus immobilibus 40. nummus fiſco inferatur: ſequetur quod ea bona, è quibus non ſolvitur nummus 40. pro immobilibus haberi nolint.

Utque magis pateat vis argumenti à me prolati, ad ejus rationem in adverſum directam me conferam. Adjunctum externum, inquit Commentator prænominatus, ad eſſentiam & naturam alicujus rei non facit; adeoque non faciet rem eſſe immobilem, quod ex eâ Ordines fiſco nummum 40. inferri voluerint.

Verum ut ordine evertam ſingula, inquiram primitus, cui per ſomnium unquam id in mentem venerit, quod externum aliquod adjunctum rem in ſe mutet? Aut quis unquam aſſeruerit abſque ſuppoſiti pignoris vel hypothecæ diſtinctione, omnem reditum immobilibus accenſeri? Quid an non ipſi Ordines ſecundum Commentatorem reditus Provinciarum in ordinem immobilium transſcripſerunt? An non idem ille Commentator ſui oblitus §. 10. p. 158. ex deſti-

deſtinatione patrisfamilias, quia rem *certo loco perpetuo deſtinavit*, eam *voluit immobilem*, quæ *ſuâ naturâ erat mobilis*? An ergo quia ita voluit Commentator, potuit paterfamilias intrinſecam rei naturam immutare, & vel ſolâ deſtinatione, quæ extra rem eſt, è re mobili facere immobilem? Quis neſcit, circumſtantias loci & temporis omnino extra rem conſtitui, externa eſſe adjuncta, nec quicquam præterea rebus adjici per patrisfamilias deſtinationem? Quis adeo in Jure Romano hoſpes eſt, ut credat unquam patremfamilias poſſe rem ſuâ naturâ mobilem, ſolâ cogitatione vel deſtinatione facere immobilem? Neque unquam lex vel Princeps vel Senatus id potuit Romanus. §. 2. *neque enim id potuit inſtit. de uſufr. l. 2. D. de uſufr. ear. rerum quæ uſu.* quibus naturæ rerum non ſubſunt, ſicuti naturalia jura mutare nequeunt. *in fin. tit. de legitim. agnat. tutel.* Quinimo non magis quam Imperator efficere poterat ut agnatus ſit cognatus, aut vice verſâ, vel paterfamilias ex aceto facere vinum, etiam nunquam effecerit ut res ſuâ naturâ mobilis ſolâ deſtinatione fiat immobilis.

4. Dicam igitur quod res eſt, & in eorum gratiam, qui jura non ſatis penetrârunt, quique ad elementa juris eſſent ablegandi,

legandi, rem extra nubem collocabo.

Servum rem eſſe naturâ mobilem, & diſcretum à fundo corpus, quis eſt, qui ignorat? Eum tamen inter bona immobilia computari ad aliquem juris effectum, dum fundo adſcribitur, quo cum nihil habet commune, quique extra eum eſt, nemo, niſi principiorum juris oblitus, ambigere poteſt. *l.* 3. *D. de diverſ. & tempor. præſcript. l.* 14. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Conn.* 2. *comment.* 10. *Barboſ. in d. l.* 14. *Cod. de SS. Eccleſ.*

Ut quando de jure civili, & conſuetudinario, res mobilis immobili adſcribitur, nihil aliud deſignetur, quam eam ad aliquem juris effectum rei immobili comparari. Ita enim ad effectum Juris Imperator agnatorum & cognatorum ſuſtulit differentiam, & contemplatione juris ſuccedendi, omnem in ſexu differentiam, nec tamen naturas rerum vel in minimo immutavit, vel promiſcuum ſexum eſſe voluit. Ad eum modum legato vini etiam continebitur acetum ex conſuetudine vel deſtinatione patrisfamilias, qui illud vini numero habuit. *l.* 9. *in princ. &* §. 1. *D. de tritic. vin. & oleo.* Nec tamen propterea acetum incæpit eſſe vinum, quod vinum eſſe deſierat. Sicuti ſi paterfamilias vinum vendidiſſet,

nun-

nunquam tradendo acetum liberatus fuiſſet; in tantum etiam, ut ſi vinum quod acuerat vendidiſſet, emptio ab initio pro nullâ haberetur, non aliter atque ſi plumbum pro argento venditum fuiſſet. *l. 9. §. 2. D. de contr. empt.*

Similiter ad aliquem juris effectum res mobilis, quæ in ſe & ſuâ naturâ ſpectata mobilis remanet, deſtinatione patrisfamilias licet extra rem ſit (neque enim affectus operatur quicquam in rem forte longe diſſitam) ita afficietur, ut immobilium jure regi dicatur, etiam videatur & fingatur eſſe in eâ Provinciâ, in quâ tamen non eſt. *l. ex facto, 35. §. Rerum Italicarum. 3. D. hæred. inſtituend. l. 32. D. de pignor. d. l. 3. D. de diverſ. tempor. præſcript. & d. l. 14. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Ut quemadmodum voluntas teſtatoris regit ac gubernat teſtamentum, ita faciat, rem mobilem aliter atque antea denominari. *Gothefr. ad d. l. 35.*

Ut evaneſcant omnes iſtæ interrogationes, quæ cauſam nec deprimunt, nec allevant: quid fururum ſit ſi Ordines ex equis, aliiſque rebus mobilibus vel ſe moventibus quadrageſimi nummi tributum exigere velint? Quid enim ſi cœlum rueret pari jure curioſus inquireret indagator? Cum fruſtra quis adverſarium velit iis armis devictum,

 qui-

quibus caret, quæque vi nocendi deſtituuntur. Ut in vanum argumentetur de eo quod non eſt, ad id quod in ipſis rerum argumentis obtinet. Nec ſatis gravi incommodo adverſarium urgeat quiſquis de caſibus nondum exiſtentibus, deque novâ quâpiam hypotheſi vel novo caſu, quem mente nondum comprehenſus eſt legiſlator, judicium ferri velit. Nemo in legem nondum latam impingere dicendus eſt, ſi quid commiſerit, quod forte improbari in poſterum à legiſlatore poſſit. Quid enim peccavit antiquitas, uti alibi loquitur Imperator, quod legis præſentis ſeu futuræ ignara, priſtinam ſecuta eſt obſervantiam? vid. *l. 7. Cod. de legibus. nov. 115. in princ.*

Verum ne videar me ulli difficultati ſubducere velle cui removendæ ſum intentus, dicam quod res eſt, & in quo quivis lubens adquieverit. Stante tali ſtatuto quo cavetur ut immobilium nomine quadrageſimus nummus ſolvatur, ſi alio dein ſtatuto caveatur, ut etiam equi, aſini nomine is pendatur, jam vel illud ſtatutum prius ampliari, adeoque ad res trahi mobiles per ſtatutum poſterius, dicetur, vel res illas ſe moventes ad illum juris effectum, immobilium jure regi manifeſtum erit.

Et ſi quidem per Commentatorem ſola de-

deſtinatio patrisfamilias rem ſui naturâ mobilem immobilium ordini adſcribit; quidni multo magis ſtatutum vel Provinciale, vel Municipale, tale quid efficere poterit? Cum major publicæ quam privatæ virtus ſit poteſtatis: & foret iniquum, ut quod lege privata id eſt privatorum conventione, vel unius ſolius voluntate fieri poteſt, id univerſitatem, id legiſlatorem efficere non poſſe. Aut jura vulgata me fugiunt, aut fallitur ille, qui quod per pactum, per diſpoſitionem hominis fieri poteſt, per legem, vel conſuetudinem, vel ſtatutum fieri non poſſe propalam, ſaltem per conſequentiam inficiatur. vid. *l. fin. ubi Bartol. Bald. Cod. de fidejuſſ. Vaz. Barboſ. princ. & loc. communes. litt. a. num.* 195. 196. 197.

Cap. XII.

1. *Opinio quæ proba, non eſt deſerenda.*
2. *Statuta cujuſcunque ſint generis territorium non egrediuntur, niſi ex comitate.*
3. *Neque hæc nova vel inſolens eſt ſententia.*
4. *Argumentis ab abſurdo petitis ea ſen-*

ſententia confirmatur.

5\. *Ad cautelam in diſtractione bonorum pupilli, quæ extra domicilium ſita ſunt, adhibendum utriuſque judicis decretum.*

1\. DUm vindicandis meis curis, elucidandiſve quibuſdam caſibus in libr. de *Statut. Concurſu* per compendium propoſitis, hunc libellum emitto, opuſculum intra pauciſſimarum hebdomadarum ſpatium conceptum, non videbatur ea deſerenda opinio quam *ſect.* 4. *cap.* 3. *num.* 17. *d. libr.* fueram tutatus. Puta, ſtatuta perſonalia, juri & rationi congruenter, non ſeſe extra ſtatuentis territorium extendere de neceſſitate. Id quia auctori Commentariorum in novellas Ordin. Utraject. Conſtitutiones, ad *artic.* 13. *n.* 27. 28. diſplicuit, efficiam quoad potero, ut ipſi placeam quia Optimis nondum diſplicueram, quibus etiamnum indies ſtudeo placere.

2\. Eſt autem meæ ſententiæ fundamentum ſatis ſtabile, variiſque ſubnixum rationibus, quibus ſi accedat juris Romani auctoritas, & ſecundum illud ſtatutorum vires examinentur, jam nemini dubium eſſe poterit, quin jure optimo fuerit dictum:

ctum: *ſtatuta cujuſcunque ſint generis, jus dicentis territorium neque propalam neque per conſequentiam egredi.*

Quæ enim ratio ſuadet, ut alter alterius juſſa, cui parere non habet neceſſe, ſequi teneatur? Quæ regula dictat, ut par in parem aliquem actum juriſdictionis exerceret, niſi quis ſponte ſe legibus loci ſummittat? Nec deſunt nobis auctoritates inſignium Juriſconſultorum apud *Rauchb.* 1. *quæſt.* 17. *num.* 10. *& ſeqq.* relatorum. Cum quibus facit *Peckius* toties noſtris laudatus Juriſconſultis, qui effectum omnium ſtatutorum, ſive ſecundum DD. ſint in perſonam ſive in rem, non extendit ad bona extra ſtatuentis territorium jacentia. *tract. de teſtam. conjug.* 4. *cap.* 28. *num.* 7. *ibique DD.*

Ut ſi quis mea penitius examinaſſet, vel ingenii acumen intendiſſet, id rectè à me ſcriptum deprehendiſſet, quod in uno loco prodigus declaratus, non ubique, neque ad omnem juris effectum, pro tali ſit habendus.

Non magis quam ſi quis ſententiam in uno loco latam, ubique locorum velit ſuas exercere vires. Quaſi unius territorii judex tueri cogatur, alterius territorii judicis decretum, quod iniquiſſimum eſſe deprehendit,

hendit, & non potius ſi ita velit, & id æquum eſſe judicet, ex comitate ſequatur? Quod nec officii neceſſitate, nec alio quo juris vinculo ad id agendum ſit obſtrictus.

Id ipſum non obſcurè dictant judicum ad judices miſſæ requiſitiones, litteræ *requiſitoriales* appellatæ, vel mutui compaſſus; quibus judex alterius territorii rogatur, velit in favorem juſtitiæ, ſententiam alibi latam exequi. Hoc quia renuunt Geldri, ſatis ſuperque indicant, hoc totum humanitati, non neceſſitati adſcribi. Hinc etiam conſequetur, ne quidem ſtatuta, quæ circa negotii ſolemnia diſponunt, pleriſque DD. perſonalia appellata, mihi mixta, ubique actum comitari niſi quod eum tanquam validum, ex humanitate alterius loci judices ſuſtinere velint.

Quod autem alibi ſcripſeram, reſpectu ſolemnium ſpectari locum ubi aliquid fit vel geritur, id probaveram de jure Romano, quo etiam remiſſiones & requiſitiones erant neceſſitatis, non voluntatis; quod omnes judices iiſdem legibus civilibus, eidem Imperatori ſubeſſe cogebantur. Ut ſi quid in uno loco ſolemniter geſtum, in alio repudiari non debeat, id fiat propterea, quod fuerit Imperator Romanus utriuſque territorii dominus. vid. *mea in tract.*

de

de Statut. Concurſ. ſect. 4. *cap.* 2. *num.* 9.

Verum quando una Gens alteri non paret, & ſupremi ſunt utriuſque populi Principes, nec ſubditus unius territorii alterius territorii legibus, vel ratione perſonæ, vel ſolemnium, vel bonorum non ibidem jacentium, regi debebit. Et hoc ipſum eſt, quod in meo *tract. de Statutis* indicaveram: prodigum in uno loco declaratum haberi quidem alibi pro prodigo, id tamen non ſecundum veritatem, & ſubtilem rationem diſputandi, quaſi perſonæ qualitas eam ubique comitetur, ſervari, verum ſecundum eam æquitatem, quâ de judicis alieni territorii decreto bene præſumit judex, qui ipſi non paret. An ergo ſtatuta, quoad ſolemnia circa interdictionem adhibita, ſe extendent extra territorium? Ita quidem videri reſpondebam, ſi forte quorundam DD. ſequamur opinionem, qui actum in uno territorio ſolemniter geſtum, ſecundum illius territorii leges, vires etiam ubique, licet alia requirantur ſolemnia, velint exſerere. Quia tamen & ea ratio mihi minus firma fuit viſa, nec in eâ adquieſcere poteram, ideo *malui*, (ſic ſcribebam) id eſt tutius eſſe judicabam, iis ipſis rationibus quas ex aliorum opinione allegaveram rejectis, ad ſolam humanitatem recurrere,

quâ

quâ populus vicinus vicini decreta comiter obſervat. *l. 7. §. fin. D. de captiv. & poſtlim. reverſ.*

Eſtque hic ſcribendi modus in reſponſis Juriſconſultorum non infrequens, ut præmiſſis quibuſdam rationibus probabilibus, dum in iis ſibi diſplicent, noviſſimis probabilioribus prolatis, ſe corrigant & emendent. *l. 15. in fin. l. 17. in fin. D. de præſcript. verb.*

3. Et ne ſententia quam in præſentiarum tueor, inſolens cuiquam videatur, ſicuti illi nova non erit, qui in lectione auctorum, inque Juriſconſultorum ſcriptis vel mediocriter eſt verſatus, varios mecum ſentientes in proſcenium adducam, quo conſtet, *ambigere quoſdam, certiſſimi juris* non eſſe, quod loci cujuſque leges de ſubtili juris ratione attendantur, ubi actus conficitur.

Si quiſpiam mihi non credat, credat ſaltem Tuldeno, qui licet fuerit multæ lectionis Juriſconſultus, rectius & modeſtius ſcripſit, quoſdam ſequi loci ſolemnia ubi actus celebratur, non omnes. Quod ſi quis adeo refragari velit, ut auctoritate Tuldeni vinci nolit, ſaltem patiatur ſe ſuperari exemplis. Oldradi ea quondam fuit opinio quam tueor; cujus argumenta cumulavit *Fachin.*

Fachin. 5. *controv.* 90. & quamvis ipſi minus firma videantur, non tamen ab eo, ſed à *Bartolo ad l.* 1. *Cod. de Sum. Trinit.* aliiſque ejuſdem ſequacibus, ſeceſſum fecit. Et nemo neſcit multos hic ambigere, qui vel *Maſuerium in praxi tit. de remiſſ. num.* 18. imprimis *Burgundum* inſpicere fuerit dignatus, qui ad *Conſuetud. Flandr.* ex Conſt. Principum Belgii, quod Hiſpano paret, noſtram refert ſententiam. *tract.* 6. *num.* 2. *verb. ad ſolemnitates ejus territorii ubi bona ſunt ſita compelluntur.*

4. Et ne plures in unum conferam, claudat agmen *Beſoldus* Germaniæ celebratiſſimus Juriſconſultus, qui *ad l.* 9. *D. de juſt. & jure.* poſt Fachinæum noſtram ſententiam ſequentem fere in modum proponit, & confirmat.

Quæritur, ſi Titius ex formulâ Juris Canonici in territorio Romano teſtamentum condat; illud pariter eorum etiam bonorum ratione obtineat vigorem, quæ eo in loco ſita reperiuntur, ubi in teſtamenti factione juris communis exiguntur ſolemnitates?

Verior inquit nobis videtur opinatio *Fachinei* 5. *controv.* 91. quæ id negat. Et quidem præter argumenta à Fachinæo allegata, hiſce in effectu utitur Beſoldus, quod ſta-

ſtatuta, ſive fuerint in rem, ſive in perſonam, adeoque etiam ea ſtatuta, quæ ſunt ratione ſolemnium, quorum certa & varia poſſent recenſeri, mihi appellata mixta, ſicuti & ea medio loco collocat *Vinnius* 2. *quæſt. ſelectarum* 19. minime ſuas vires extra territorium ſtatuentium porrigant. *per l. fin. D. de juriſdict.* aliaque multa in meo libr. de *Statutorum Concurſu* allegata.

Neque hoc ipſum Juris Romani fundamentis adverſatur, ſi intueamur *l. pupillo.* 27. *in princ. D. de tutor. & curat. dat.* ubi licet tutor regulariter illo jure perſonæ, per conſequentiam rei daretur, *l.* 13. 14. *D. de teſtam. tutel.* Non tamen ille Magiſtratus cui pupillus erat ſubjectus, de rebus pupilli extra territorium jacentibus, diſponebat. Ut ſi pupillus tam Romæ quam in Provinciâ patrimonium haberet, bonis Romanis Prætor, Provincialibus Præſes tutorem daret.

Perſona igitur bonorum contemplatione juriſdictionem alterius territorii ſequitur, non res perſonam; quod perſona magis rei ipſius juriſdictione coartetur. Quæ ipſa ratio eſt, quod rei contemplatione quæ petitur actione in rem, ab actore rectè conveniatur reus, & ubi domicilium habet, & ubi res eſt ſita. *l.* 3. *Cod. ubi in rem actio exercer. deb.*

Si-

Sicuti moribus is qui convenitur extra ſuum territorium ad domicilium actoris per edictum evocatur, quod in eâ Provinciâ ubi actor domicilium habet, bona poſſideat, quæ arreſto includuntur, ut ita reus bona perſonam trahentia, velit nolit ſequi debeat, & eorum contemplatione ſe ſubjicere judici non ſuo. Niſi miſſionem in poſſeſſionem bonorum, Jure Romano, vel ſaltem eorum diſtractionem, de moribus, latâ ſecundum actorem ſententiâ, pati velit.

5. Atque hæc ipſa ratio ſubeſſe videtur de conſuetudine, bonorum pupillarium diſtractioni alibi jacentium, quam ubi pupillus domicilium fovet. Nam in cautelam & pleniorem ſecuritatem utriuſque judicis decretum deſiderant, DD. prudentiores, & illius ubi pupillus ſedem & larem fixit ſuarum fortunarum, & ubi bona quæ diſtrahuntur jacent. *Gomeſ. 2. reſolut. 4. num.* 17. *Berlich. deciſ. 29. num.* 4. 5. 6. *ibique DD. vid. Gothefred. in notis ad l.* 5. §. *illud quæri.* 12. *D. de rebus eorum qui ſub tutel.*

Adjicit alterum argumentum Beſoldus, quod non minus firmum videtur, & ab abſurdo vel ab iniquo deſumptum eſt. Nam ſi teſtamentorum ſolemnitates, ad omnem falſitatis ſuſpicionem adhibentur, cujus maxi-

maximè in noviſſimis metus eſt diſpoſitionibus, dum multi reperiuntur hæredipetæ, aliorum bonis inſidiantes. *arg.* §. 3. *inſtit. de pupill. ſubſtit. l. jubemus.* 29. *Cod. de teſtament. l. quaſtionem. Cod. de fideicomm.* Iniquum foret cogere loci Magiſtratum, ubi bona teſtatoris ſita ſunt, duobus extraneis, ſibique incognitis teſtibus fidem adhibere, & ſecundum eorum aſſertiones bona ſuæ juriſdictioni ſubjecta ut dividantur permittere: cum hâc in parte propriis non crederet civibus, etſi omni exceptione majoribus. Unde ſi tres cives Tubingenſes, (Tubinga erat domicilium Beſoldi) teſtamento adhibeantur id tamen teſtamentum non cenſebitur aliquod habere robur. Si ergo civis Tubingenſis Venetiis coram duobus Italis, vigore legum Venetarum teſtaretur, an non eſſet incivile, aſſerere, Magiſtratum Tubingenſem in caſu propoſito duobus Italis de quorum levitate ſæpe ſuſpicio ſuborietur fidem adhibere debere, cum in eodem caſu non crederet tribus civibus Tubingenſibus? An non minus æquum videretur, ſi caſu quo alibi major deſideraretur ſolemnitas, Tubingenſis alibi coram civibus teſtetur Tubingenſibus ibidem forte repertis, ſecundum formam & ſolemnia apud Tubingen-
ſes

ſes requiſita, ejuſdem teſtamentum ratione bonorum intra Tubingenſium juriſdictionem jacentium reprobari?

Maximè cum Prætor Romanus ſuorum curam habuerit ſolemnium, & teſtamentum aliter de jure civili invalidum, vires habere voluerit, modo prætoriorum requiſitorum non fuiſſet oblitus teſtator. Adeo ſcil. impensè favent Magiſtratus ſuis inſtitutis, ut etiam ſi aliquid quod alibi deſideratur omiſſum fuerit, hoc parum curent, nec propterea quod geſtum eſt negotium velint irritum fieri. *Argum.* §. 6. *verb. nam ſi ſeptem teſtium. Inſtit. quibus mod. teſtam. infirm.* l. 12. *in princ. D. de injuſt. rupt.* l. 7. 9. *D. de bonor. poſſeſſ. ſecund. tabul.*

Neque ab hâc opinione recedit *Tuldenus tit. Cod. de teſtament.* Quidam, inquit, affirmant, ſpectari in teſtamentis ſolemnia loci, ubi ea fiunt, & ipſa ſufficere quoad bona alibi ſita; verum alii contra ſentiunt, quia bona utique ſubjecta ſunt legibus locorum ubi ſita; neque diſtinguendum videtur, utrum ſtatutum de poteſtate teſtandi, an de ſolemnitate diſponat.

Atque ita me non tantum legibus & rationibus, verum etiam auctoritate DD. abunde ſtabiliviſſe judicioſus lector ani-

madvertet, quod & multi non *ambigant* tantum, verum etiam mecum ſentiant, (*ne meum hoc inventum dici poſſit*) ſtatuta loci ſolemnia ſpectantia, non exercere ſuas vires ad bona alibi jacentia, niſi ea ſpontè & ex comitate admiſerint alterius territorii judices. Ne aliter quæ bona fide geſta negotia turbarentur, vel multa quæ ex æquo & bono ſervari potuiſſent, licet juris rigori adverſentur, diſtraherentur. *arg. l. Barbarius Philippus. 3. verb. an fore, propter utilitatem eorum. D. de offic. Prætor. l. 2. l. 13. in princ. D. comm. prædior.*

CAP. XIII.

1. *Autoris ſententia repetitur.*
2. *Definiuntur ſtatuta realia & perſonalia.*
3. *Statutum quo filiofamilias teſtari permittitur, eſt perſonale.*
4. *Non rectè à ſolo fine ſtatuti denominatio eſt deſumenda.*
5. *Perſonæ habilitas de rigore juris ſe non extendit ad immobilia alibi ſita.*
6. *Ultrajectinum ſtatutum, quo minor*

nor

nor annis 16. *vel* 18. *teſtari nequit, extra territorium ſe non extendit.*

7. *Quædam dubia tolluntur.*

1. VErum ne uſpiam vel vadimonium deſeruiſſe, vel eremodicium contraxiſſe videar, quædam ſine magno labore & veluti in tranſitu (dum aliis Academicis intentus ſum) in libertatem aſſeram, quibus conſtringendis, ſubjugandiſque operam dabat *D. Weſel in comm. ad art.* 16. *Novell. Conſtit.* Is enim *num.* 9. *d. artic.* meum *de Statutis* tractatum, dum commentaretur in articulum 16. dum in illum ſcriberet, in lucem prodiiſſe refert, quaſi ex improviſo, & forte in ejuſdem manus eo ipſo tempore incidiſſet, opportunè quidem, ne quid intactum in meo relinqueretur, quod improbandum videretur. Cum tamen jam ante eundem legerat tractatum, etiam quædam in ſuis commentariis attigerat, explicaverat, in quibus à me meiſque ſeceſſum facere voluerat.

Non ſatis hæ circumſtantiæ meo judicio cohærent, niſi credendum ſit Hebræorum more à poſtremis vel à dextra incipiendo Auctorem ſuum conſcripſiſſe & edidiſſe Commentarium. Id ſaltem veriſſimum

I 2 eſt,

eſt, meum de *Statut.* libellum ſub initium anni 1661. & Auctoris commentarium circa Principium anni 1666. lucem adſpexiſſe. Ut dum non multum operæ in meis opinionibus refellendis inſumpſit, etiam eaſdem nondum everterit. Stant enim ſuis ſubnixæ rationibus, ſtant immotæ, & inconcuſſæ, donec melioribus de ſtatu fuerint deturbatæ.

Me quod attinet non mihi fuit animus ſenſum artic. 16. ordinationis deciſoriæ ſecundum ſingula explicare, verum ſolummodo occaſione alterius ſtatum indicare volui, quem crediderim eſſe ſenſum dicti articuli; adeoque viam demonſtravi, quam alii magis excolant, ſuumque conferant Symbolum. Nec quicquam gratius mihi potuit accidere, quam ſi quæ ibidem ſtrictim propoſueram per meum in Vianenſi Supremo Dicaſterio Collegam preſſius examinentur; adeoque ea quæ Doctorum obſcuris conceptibus ſubinde involuta nimium, explicentur magis. Ita enim ad uberiorem meorum explicationem, ſicubi obſcurus videar, etiam ad ſecundas curas, ad repetitas prælectiones invitabor. Quodque in primis forte tantum attigi, ſecundis penetrare conabor. Et ſiquidem hic mihi παρόραμα δ' ἀβλεψίας acciderit velim id lectorem

ctorem cognoſcere, & eidem ignoſcere ex æquo.

Verum rem ipſam de quâ controverſia eſt aggrediar, in quâ explicandâ ſi cui videar minus accuratus, eum lubens ut modeſtum monitorem admittam, moleſtum cenſorem non feram. Scripſeram *ſect.* 4. *c.* 3. *num.* 12. 13. *libr. de Statut. Concurſ.* Statutum ut *filiusfamilias poſſit facere teſtamentum judicandum eſſe perſonale*; quæ ſententia num à juris ratione videri poſſit aliena, ex dicendis examinandum erit.

2. Perſonalia ſtatuta definiveram, quæ primo & per ſe afficiunt perſonam, vel perſonæ ſtatum. Perſona autem variis afficiebatur modis, quos dum recenſui, nihil in uno iſtorum modorum à quoquam fuit reprehenſum vel notatum, ut noſtræ theſes immotæ conſiſtant, quibus hypotheſes ſuperſtruuntur. Statuta realia dicebantur, quæ in rem concepta, haud dubiè ipſam rem afficiunt. Qualia erant quæ circa ſucceſſiones vel teſtamentarias, vel legitimas, rerum alienationes, vel prohibitiones verſantur.

3. Verum ſtatutum quo filiofamilias teſtari permiſſum eſt, quod ipſi Jure Romano, & ſecundum quorundam ſtatuta locorum permiſſum non eſt, perſonam af-

ficit; cum circa perſonæ habilitatem, & de ejuſdem habilitate diſpenſet & diſponat.

Ita non ego tantum, ne hic dicar eſſe ſingularis, verum etiam Juriſconſulti accuratiores loqui amant. Et ne videar hæc dixiſſe gratis non probaſſe, in medium proferam Arnold. Vinnium, qui. 2. *ſelect. quæſt.* 19. poſt explicationem ſtatuti perſonalis, ſubjicit exemplum de filiofamilias, *cui permiſſum eſt de bonis diſponere maternis.* Quinimo cum Argentræo, è quo ſubinde qui commentarios edunt multa deſcripta pro ſuis venditant, hoc argumentum in adverſum dirigam. Perſonale pactum eſt, adeoque ſtatutum perſonale, quod de perſonæ ſtatu agit, citra rerum immobilium mixturam, & abſtractè ab omni reali materiâ, id eſt ſine expreſſione materiæ, vel mobilis vel immobilis, vel corporalis vel incorporalis. Verum filiumfamilias poſſe facere teſtamentum, tale ſtatutum eſt in quo nec mobilium, nec immobilium, corporalium vel incorporalium fit mentio. Ut illud ipſum eſſe perſonale per evidentem illationem conſequatur. Hinc etiam ne quidem hoc noſtrum de quo inquirimus mixtum voluit *Chriſtinæus* 2. *deciſ.* 3. *num.* 3. Quale ipſi tum demum erat, ſi dictum ſit: filiumfamilias de re immobili

bili poſſe diſponere, non ſi ſimpliciter loquuti fuerint ſtatuentes: *filium-familias diſponere poſſe.*

Et licet qui teſtamentum facit, de re certa ut plurimum diſponat, (quanquam etiam de animâ teſtari valeat, & cadaver honorificæ commendare ſepulturæ) non tamen res illo ſtatuto continetur, niſi per conſequentiam. Et ita vix ullum ſtatutum perſonale excogitarètur, quo non per primam vel ulteriorem ſequelam, ſemper res veniret conſideranda. Ut propterea quod in conſequentiam venit non ſit attendendum, nec quod incidenter, verum quod principaliter agitur. *arg. l.* 1. *D. de auct. tutor. l. is qui. D. de liber. cauſ. Vaz. Barboſ. Princ. & axiom. juris. litt. C. num.* 49. Aliter ſtatutum, quo prodigo bonorum interdicitur adminiſtratione, quo major annis 18. rerum ſuarum compos declaratur, foret reale. Quæ tamen Argentræo, aliiſque pro merè perſonalibus habentur. *ad Brit. loc. lit. num.* 6.

4. Neque hic illos audio, qui in partem ſequuti *Argentræum ad Britann. art.* 218. *gloſſ.* 6. à fine & conſideratione rei ſtatutum appellant reale; eorum obliti, quæ *d. Argentr. num.* 5. deſideraverat ad reale ſtatutum; puta ut *materia potius quam agens*
in

in controverſiâ & in ſubjecto verſaretur, utque rerum præcipua eſſet conſideratio. Aliter ſi à ſolo fine deſumenda foret denominatio, ſequeretur ſtatutum quod minorem facit majorem, quod filiumfamilias patremfamilias, eſſe reale: quoniam eâ intentione eo fine ita conſtituitur ut quis liberam haberet de bonis omnibus diſponendi facultatem, ut eſſet & rerum ſuarum compos. *Argentr. ad Britann. conſuet. artic.* 218. *gloſſ.* 6. *num.* 6.

Quinimo niſi ſtatutum de quo controverſia eſt, foret perſonale vel mixtum ſecundum alios, cur quod ei ſimile eſt, Ordines Ultrajectini, reale decreviſſent. Nam quod in ſe reale eſt, fruſtra per Ordinum conſtitutionem dicitur fieri reale. Verum quod eſt perſonale ad aliquem juris effectum reale fieri poteſt. Qui effectus uti opinor, in eo conſiſtit, quod ſtatutum non exſerat vires ad bona immobilia alibi ſita, de quibus etiam qui pubes eſt, licet nondum annum 16. vel 18. ſuperaverit, teſtari poterit.

Quod autem negaverim perſonæ habilitatem extendi ad bona immobilia alibi jacentia, adeoque filiumfamilias in uno territorio habilem ad teſtandum declaratum, non propterea cenſeri ubique locorum habilem,

bilem; id eſt illam qualitatem ſe non extendere ad bona immobilia alibi ſita, per ll. & auctoritates in antecedentibus demonſtravi; licet comitatis cauſa aliter quandoque obſervari ibidem indicaverim.

Atque talem ſenſum applicari poſſe artic. 26. Ordinat. Deciſ. Ultraj. tum temporis ſtatui. Nam quando Illuſtr. DD. Ordines inhabilem declarant minorem annis 16. vel 18. ad teſtandum, qui jure communi etiam plerorumque locorum ſtatutis erat habilis, & ſubjiciunt hoc ſtatutum fore reale; non videntur aliud inferre voluiſſe, quam quod de immobilibus in hâc Provinciâ ſitis teſtari nequeat; quo ſenſu, & ad quem effectum reale ſtatutum appellabitur, quod aliter in ſe perſonale foret. Ut infirmari non debuerit illius teſtamentum qui minor 16. vel 18. annis, de bonis immobilibus alibi jacentibus, ubi contraria obtinet conſuetudo, diſpoſuit.

Neque etiamnum percipio, niſi id mihi magis illuſtretur, ad alium quem effectum hoc ſtatutum fore reale; ſaltem non ad illum, quaſi Hollandus minor 16. vel 18. annis, in Hollandiâ diſponere non valeat de bonis immobilibus hic ſitis. Neque ullam hactenus à quopiam rationem in contrarium allegatam, vel rerum perpetuo ſimi-

ſimiliter judicatarum exempla obſervare potui; ut meo ſenſui audeam inhærere, donec circa illum juris effectum vel Ordinum declarationes, vel Supremæ Curiæ præjudicia, quicquam determinaverint.

6. Supereſt ut inſequentem vindicem periodum, quæ legitur in loc. alleg. mei tractat. de Statutis num. 13. quam cum præcedenti periodo num. 12. à me propoſitâ cohærere voluit Commentator, p. 239. verum præter meam intententionem. Quo enim jure, quâ ratione id voluerit, nondum perſpicio, cum caſus num. 13. à me propoſitus ſit longe diverſus à caſu num. 12. d. libr. explicato. Nam quæſitum erat num. 13. num Trajectinus qui Ultrajecti inhabilis eſt ad teſtandum, antequam egreſſus ſit annum 16. vel 18. de bonis, ſupple immobilibus, Ultrajecti jacentibus, alibi, ubi ſecundum jus civile teſtatur, qui pubertatem exceſſit, licet ſit 16. vel 18. annis minor, poſſit facere teſtamentum; & quidem cum effectu, qui ſeſe ad bona immobilia Trajectenſia extendat? Et in negantem partem inclinavi; quia non poteſt ille, qui Ultrajecti erat inhabilis, ſuam habilitatem dum manet Civis Ultrajectinus, extra territorium à Magiſtratu cui non ſubeſt, nanciſci. In quibus ſi quiſpiam quid

quid abſurdi reperire potuerit, ſi quid à juris ratione alienum obſervare, oculatiſſimum illum lubens deprædicabo, qui ad inſtar ſerpentis Epidaurei mea penitius introſpexerit, ſuorum oblitus.

7. Verum antequam cauſam deſeram, ſupereſt, ut quædam obſtacula, per modum quæſitorum apud Commentatorem p. 240. propoſita, removeantur.

1. Cauſa quæritur, cur maritus Hollandus, qui uxori omnia ſua relinquere poteſt, bona immobilia in Provinciâ Ultrajectinâ jacentia ei relinquere nequeat? Reſp. hæc ipſa eſt petitio principii, vel id quæritur, quod erat in quæſtione. Alia enim & longe diverſa ratio eſt ſtatuti quo decretum, *ne maritus uxori proprietatem bonorum relinquere valeat*, alia illius ſtatuti, quo cautum, *ut filiusfamilias poſſit facere teſtamentum*. Illud ſtatutum eſt mere reale quod rem primario & per ſe, non ita perſonam reſpicit. Maritus enim teſtari poteſt, relinquere uxori uſumfructum poteſt, nec ulla qualitas marito adjicitur vel adimitur; rem tamen relinquere prohibetur, puta proprietatem. Hoc autem ſtatutum, *ut filiusfamilius teſtetur*, afficit ſtatum, afficit perſonam, quia eo ipſo ſtatutum illum pro patrefamilias haberi vult. Nam perſonæ qua-

qualitas eſt, quando militi filiofamilias teſtamentum facere permittitur, quia pro patrefamilias habetur, ſeu fingitur eſſe paterfamilias. *l.* 1. *in fin. l.* 2. *D. ad Senat. Macedonianum. l.* 6. §. 13. *D. de injuſt. rupt. irrit.* & ita *Zoeſ. ad tit. D. qui teſtam. facere poſſ. num.* 51. *in princ. inſtit. quibus non eſt permiſſ. facere teſtam.* In quo tit. non de rebus quicquam diſponitur, ſed de qualitate & habilitate perſonarum, quibus permiſſum eſt vel denegatum de jure teſtamenta condere.

2. Quæritur, cur Gelrus qui teſtamenti condendi jus non habet, nihilominus de bonis in hâc Provinciâ ſitis diſponere valeat? *Reſp.* Quia Gelriæ ſtatutum eſt reale, neque tàm de perſonæ ſtatu diſponit, quam de ſucceſſione, in quantum bona in familiâ conſervanda eſſe determinat, nec immobilia per ultimam voluntatem ad extraneos deferri, niſi fortè conjuges jus invicem relinquendi bona, pactis antenuptialibus reſervaverint. Ut tamen donatione factâ inter vivos, & quidem abſolutè, & proprietatis ratione & uſusfructus, bona in extraneos transferri poſſint.

Sic ut in Gelriâ locum habeat parœmia Gallis uſitata, quod donare & retinere non ſit permiſſum. vid. *Raguell. ad l. pen. Cod.*

de

de præſcript. 30. annor. in fin. Frideric. à Sanden de feud. Gelriæ. tract. 1. cap. 1. num. 40. Goris 3. adverſ. cap. 14. num. 4.

Omlandiæ ſtatuto ſimiliter cautum eſt, ne quiſpiam niſi de adquiſitis diſponendi gaudeat facultate. *Sand. 4. deciſ. 4. def. 4.* A quo non multum recedunt mores quarundam Provinciarum, quæ Hiſpaniæ Regi parent, quibus de adquiſitis diſponendi conceſſa ſingulis eſt licentia. Quia duriſſimum foret eorum quæ quiſque ſuâ pecuniâ, ſuove labore & induſtriâ quæſierit, non permitti eidem ut lubet teſtandi facultatem. Ut tamen in immobilibus, quæ à majoribus provenerunt, non adeo libera conceſſa ſit diſpoſitio. *Perez. Cod. de legat. num. 28.*

Quæ ſtatuta cum ſint introducta, ad familiarum conſervationem, hæcque majorum qui ea bona adquiſiverunt fuerit mens atque deſiderium, ut apud poſteros remanerent, adeoque prædeceſſorum memoria eo ipſo conſervaretur; nemini dubium eſſe poterit quin ea ſtatuta prohibitoria ſint realia. Quæ cum extra territorium jus dicentis non exſerant vires, non ſeſe ad bona alibi ſita extendere poterant aut debebant. vid. *Gail. 2. obſ. 124. num. 4. Schurffium. 1. conſil. 6. num. 1. Chriſtin. 2. deciſ. 3. num.* 5.

5. poſt med. Vinnium. 2. ſelect. quæſt. 19.

3. Quæritur, cur filiusfamilias qui in Friſiâ jus condendi teſtamenti non habet, quod ibidem hâc in parte ſequantur jus Romanum, nihilominus poſſit teſtari de bonis in hâc Provinciâ ſitis? *Reſp.* Commentator hic pro indubitato ponit, rem ita ſeſe habere, adeoque teſtamentum in Friſiâ à Friſone filiofamilias factum, ſeſe ad bona immobilia in hâc diœceſi jacentia extendere. Verum non eſt aſſumendum pro principio, quod erat demonſtrandum. In hoc enim probando oleum & operam forte inſumet, quiſquis id in ſe ſuſcipere velit. Ut malim in contrariam ſententiam non ſine ratione & auctoritate declinare, puta quod omnino non ſuſtineatur teſtamentum à Friſone filiofamilias in Friſiâ factum, ut multo minus effectum aliquem ſortiatur reſpectu bonorum, in hâc Provinciâ jacentium. Cum quod nullum eſt, nullum producat effectum, per jura vulgata. *l.* 4. §. *condemnatum. D. de re judic. l. non dubium. Cod. de legibus. c. quod nullum. de regul. juris in 6. Vaz. Barboſ. Princ. & loc. comm. ad litt. N. num.* 28. Et non ſubſiſtente principali, non etiam ſubſiſtat acceſſorium, vel conſequens, ex eo fluens; nec bona diſtribuantur juxta diſpoſitionem quæ erat nulla.

Unde

Unde quod amplius eſt tenent DD. quod Friſo qui in Friſiâ inhabilis eſt ad teſtandum, ſi fuerit filiusfamilias, ne quidem rectè teſtetur alibi, ubi non idem obſtat impedimentum. Quod lex alia municipalis quæ permittit teſtamenti factionem filiofamilias, non valeat diſponere circa Friſonem, perſonam ſibi non ſubjectam, eique forte tranſeunti indere qualitatem, quam in loco domicilii non habebat. *Poſt Barboſ. in l.* 1. *num.* 16. *Cod. de SS. Trinit, Zoeſ. ad tit. D. qui teſtam. facer. num.* 51.

Etenim ut ſuſtineatur teſtamentum, ut valeat, ut vires exſerat, inter cætera id apprimè requiritur, ut qui teſtatur, ibi ubi teſtatur, diſponendi habilitatem fuerit nactus; ſi modo ibidem domicilium habeat, & gaudeat jure civitatis. Ita *Lovet apud Chriſtin*. 1. *deciſ*. 4. *num*. 2. Quinimo ſi teſtamentum quod facit filiusfamilias in hâc Provinciâ, ubi ipſi de bonis maternis vel aliis adquiſitis teſtari permiſſum eſt, non valeat in loco ubi jus teſtamenti faciendi non habet, ſicuti in Friſiâ; cur valeret teſtamentum quod Friſo filiusfamilias in Friſiâ condidit, cum ibidem diſponendi jure non gauderet, intuitu bonorum hic jacentium? *Vinnius*. 2. *ſelectar. quæſtion. cap*. 19.

Quod ſi quis quæſierit, num Ultrajectini filiifamilias teſtamentum quod in Friſiâ condidit de bonis in Provinciâ Ultrajectinâ ſitis, valeat ratione bonorum hic jacentium? Reſpondebo per legiſlatorem Ultrajectinum illud teſtamentum propterea ſuſtineri, quod inhabilem nolit declarare ſuum civem, licet alibi teſtantem, ut quem ſemel habilitavit.

4. Denique inquiritur, cur maritus Hollandus, qui in ſuâ Provinciâ immobilia uxori relinquere poteſt, nihil noſtratium bonorum præter nudum uſumfructum illi relinquere valeat? Reſp. Quia Statutum Ultrajectinum, ne conjuges invicem quicquam donent vel relinquant, præter reciprocum uſumfructum, reale eſt, afficitque bona immobilia hic jacentia non alibi. Ut propterea ſecundum communem opinionem ſervari debeat loci ſtatutum, ubi immobilia ſita ſunt. Quæ ipſa etiam ratio eſt, quod noſtrum ſtatutum vires non exſerat ad immobilia in Hollandiâ ſita, quæ impunè Conjuges Ultrajectini invicem relinquunt, quod ubi ſita ſunt contraria huic noſtro ſtatuto obtineat conſuetudo. *vid. Peckium de teſtam. conjug. libr.* 4. *cap.* 7. 10. 28. 29. *Chriſtin. ad Mechlin. in prælud. num.* 45. *& tit.* 17. *artic.* 2. *num.* 11. *& artic.* 3. *num.*

num. 4. 13. *Gothefred. ad l. fin. D. de juriſdict. verb. quid ſi municipum lege. artic.* 1. *Ordin. Deciſoria Ordinum Ultraject. de ann.* 1659. *April.* 14. mea *de Statutor. Concurſ. ſect.* 4. *cap.* 3. *num.* 2.

Supereſt, ut eam auferam difficultatem quam ex meis ſcriptis, lectis quidem, non tamen ſatis perlectis, Commentator p. 239. in medio collocavit. Quod cum alibi ſtatuerim non alias perſonam affici ſtatuto, *quam cum ſtatutum de univerſali perſonæ ſtatu diſponit, & alium à priori inducit, vel alterat, idque fateri cogar* hinc conſequatur, ſtatutum quod inhabilem ad teſtandum facit habilem, vel vice versâ, non eſſe perſonale.

Excutiam ſingula, ne quid intactum maneat, & ad oculum appareat utrum meus Collega hæc jure reprehenderit, utrum vero ego mea jure & probè tuear. Quod enim principio ſcribit me *id fateri coactum*, quo tendat neſcio, nec ſatis eam locutionem percipio, ſaltem non ſuo loco applicatam, fateri cogor. Neque enim cum mea de *Statut. Concurſ.* conſcriberem, & quod ſtatutum de habilitate perſonæ tractat explicarem, ullum adverſarium fueram nactus, multo minus Collegam, quem in adverſarium non elegi, nec eligam;

ut propterea nemo dicendus ſit mihi eam extorſiſſe ſententiam, quam non rogatus, ſed ſpontè, liberè, non coactè, quod ita judicarem pro mei ingenii modulo, tutabar; & forte paulo accuratius atque plenius, quam illi qui aliorum ſcrinia compilare ſolent.

Quis autem ille fuerit, qui mihi hanc confeſſionem extorſerit, qui me coëgerit, ſi non meum arbitrium, ſi non quia judicavi meam ſententiam, jure & auctoritate niti, mihi velim indicari.

Nondum adeo defecere vires, ut ab iis quos pro veteranis non agnovi, volens nolens Ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ, in eum locum detrudar, ſtatione priori deſertâ, quem non ipſe mihi primitus elegerim.

Et quoniam incivile eſt non inſpectâ totâ lege, de eâ velle judicare, ita etiam quem præter officium facere arbitror, qui de unâ particulâ judicaverit, antequam omnia mea probè perlegiſſet. Non ſcripſeram tum demum ſtatutum eſſe perſonale, *cum de univerſali perſonæ ſtatu diſponit*; ejuſque contrarium ſatis ſuperque demonſtrabant exempla in meo tract. de *Statutor. Concurſ. ſect.* 4. *c.* 5. *num.* 5. propoſita. Quibus omnibus hanc regulam ſubjiciebam: *Omnibus illis modis in perſonam ſtatutum conſtitui, quando*

quando (non ſemper de univerſali perſonæ ſtatu) *tanquam de univerſali perſonæ ſtatu diſponitur*. Dum enim quandoque *alteratur* prior perſonæ ſtatus, indicatur ſatis, quandoque univerſalem perſonæ ſtatum immutari, quandoque *tanquam* de univerſali perſonæ ſtatu diſponi. Prius evenit, quando quis abſolute ex filiofamilias fit pater, vel ex parte filiusfamilias, idque ad omnem juris effectum. Poſterius accidit, quando ſtatutum circa perſonæ ſtatum ita quid diſponit, vel *alterat*, ut tamen rem ipſam primo & per ſe non afficiat.

Sicuti vero apud rerum naturalium ſcriptores alteratur homo, ratione cujuſdam qualitatis, inter Juriſconſultos libellus intentionis alteratur vel emendatur, etiam dum non omnino alius, vel non plane novus proponitur: ita etiam alteratur perſonæ ſtatus quando ſtatuto, cum prius non erat habilis ad inſtrumentum conſcribendum, jam factus eſt habilis, quando ei qui ad poſtulandum admittebatur, poſtmodum interdicitur advocatione; vel quando ſtatutum eum infamiâ notando ad negotia quædam expedienda, ad munera certa vel certos honores gerendos, facit inhabilem; vel quando ſtatutum dictat filiumfamilias poſſe teſtari, qui de jure communi ad te-

ſtandum eſt inhabilis, quod de perſonâ primario diſponat. Non aliter atque tit. inſtit. quibus non eſt permiſſ. facere teſtam. agit de perſonis quibus permiſſum vel non permiſſum eſt teſtamenta facere; adeoque explicat mutum, ſurdum, cæcum teſtari poſſe, & declarat quando, & quomodo ad teſtandum habilis cenſeri debeat.

Neque quia materia teſtamentaria ad ſecundum juris objectum, quod eſt de rebus pertinet, propterea inferri debebit, teſtandi habilitatem res ipſas, & non primario perſonas reſpicere. Quoniam non aliter teſtamentorum jura ad 2. juris objectum referuntur, quam quod adquirendi dominii modi eo pertineant, quorum unus eſt ſucceſſio, tam ex teſtamento quam ab inteſtato. Licet enim materia contractuum, quorum quidam conſtant ſcripturâ, ſaltem deſiderant inſtrumentum, ad ſecundum juris objectum referatur, malè tamen & perabſurde hinc quiſpiam intulerit, ſtatutum quod quem habilem facit ad contrahendum vel perſonam, puta notarium habilitat ad inſtrumenta contractuum conſcribenda, propterea reale dici debere, ſeu in rem eſſe conceptum.

Cap. XIV.

1. *Mobile quandoque accipitur pro eo quod mutationi obnoxium eſt.*
2. *Quandoque quod à principio intrinſeco movetur.*
3. *Eſtque duplex:*
4. *Forenſi modo id omne mobile, quod moveri poteſt.*
5. *Quandoque moventium & mobilium appellatione idem ſignificamus.*
6. *Strictiſſimè mobilia & ſe moventia opponuntur.*
7. *Mobilia in immobilia, vel vice verſâ non commutantur.*

1. POſt immobilia, quæque in eorum numerum aſſumuntur, vel ad aliquem juris effectum immobilium legibus reguntur, ſuadet ordo quem mihi ſub initium hujus libelli propoſueram, ut ad mobilium naturam me convertam. Neque enim uno eodemque ſenſu omnia ea mobilia cenſeri debent, quæ fortè uno communi nomine comprehenduntur. Ne igi-

tur vocabuli ambiguitas aliquam introducat confuſionem, obſervandum erit, quandoque in jure noſtro id omne *mobilium* exprimi appellatione, quod eſt in rerum naturâ, vel eſſe fingitur, quod intellectu vel ſenſu percipitur, id eſt ea omnia, quæ vel in hiſce inferioribus reperiuntur, vel eveniunt; quales etiam ſunt hominum actiones, rerum humanarum viciſſitudines. Quo ſenſu dixit Imperator Juſtinianus, *nihil ſtabile eſſe inter homines, & ita immobile, ut nullam patiatur mutationem: cum omnis noſter ſtatus ſub perpetuo motu conſiſtat. Authent. de non alienand. aut permut. rebus Eccleſ. §. ut autem. in princ.* Idque congruenter dicto Apoſtoli Pauli, quod hujus mundi ſchema, ſeu figura prætereat, id eſt, in rerum conſiſtat varietate. 1. *Corinth. cap.* 7. *verſ.* 31.

2. Aliter per *mobilia* ex ſenſu Philoſophorum indicantur ea quæ ita moventur & moveri apta ſunt, ut in ſe habeant principium motus internum, id eſt formam aliquam eſſentialem vel ſubſtantialem, ideo intrinſecum appellatum Principium motus, quia eſt de ratione eſſentiæ cujuſque corporis naturalis, quod moveri aptum eſt. Sic ut per illam virtutem internam, non adhibito externo quo creato motore, moveri

veri ſufficienter poſſit, ſecundum illum motum ad quem à naturâ deſtinatum eſt.

Eſtque vel perpetuo mobile corpus, Græcis ἀεικίνητον appellatum, quale forte cœlum eſt, ſaltem ſunt ſidera cœleſtia, de quorum motu vario differunt Aſtronomi. Vel eſt tale corpus, quod non movetur perpetuo, neque in exercitio motus eſt continuo, quod ad talem motum non ſit deſtinatum, aptum tamen natum eſt, ut moveri poſſit. Talia ſunt animalia, cæteræque res creatæ, quæ vel ad motum circularem, vel obliquum, vel rectum, ſurſum aut deorſum moventur.

4. Denique *mobilium* nomine ea omnia forenſi modo complectimur, quæ moveri poſſunt, & facile etiam moventur, quæ fixa quæ ſtabilia non ſunt. Sive moveantur de ſe & ἀυτομάτως, ſive aliunde moveantur à Principio quo extrinſeco, ab externo motore, qui non ſit de eſſentiâ eorundem corporum. Qualia etiam ſunt omnia artificialia, ut horologia minora, &c. quæ licet moveantur ab eo quod eſt intra capſam contentum, intra ſubjectum localiter poſitum, non tamen moventur ſpontè, neque à Principio intrinſeco, id eſt non à parte quâ eſſentiali. Omnis enim motus artificialium corporum violentus eſt, dum

forte

forte ſpira quæ chalibea, vel aliud quoddam corpus per vim externam contra naturam intorquetur; quod dum ad priorem & ſibi convenientem ſtatum redire conatur; ut loquar metaphoricè, illum in artificialibus motum efficit.

Ut in jure noſtro per corpora mobilia ea omnia intelligantur, quæ loco circumſcribuntur, quæque de loco in locum moveri poterunt, adeoque apta ſunt ſuum mutare ſitum. Quæ cum non ſint ſoli, vel infixa ſolo, vel eidem adhærentia, non adeo magnam continent molem, ut immota vi humanâ appareant. Sic ut vel ſuapte vi, vel extrinſecus adhibitâ virtute, loco moveantur, ex uno in alterum transferantur. Nec intereſt, an reverâ transferantur, an pro tranſlatis habeantur. Id quod expreſſit Argentræus dum voluit ea transferri vel naturâ, vel uſu; alio tamen quam ego ſenſu. Quod per uſum intelligam, quando deſtinatione patrisfamilias pro loco motis habentur, quæ tamen naturaliter mota non ſunt. Qualia Argentræus naturâ & uſu appellat mobilia.

Quod ſi præter naturam ea corpora quæ aliter ſunt immobilia, vel quæ ingenti vi humanâ mobilia, dimoveantur, ea non curabuntur; ut proinde nihilominus pro im-

immobilibus haberi debeant. Quo refero montes, qui interdum commoveri dicuntur, etiam vaſta corpora, obeliſci, coloſſi, lapides ingentes, qui adhibitis grandibus machinis eriguntur, vel de loco in locum moventur. *Argentræus ad Britann. Conſuet. art.* 408. *gloſſ.* 2. *in princ. Oldradus conſil.* 219. *Mantic.* 9. *de conj. ultim. volunt. tit.* 3. *num.* 1. *Menoch. de recuper. poſſ. remed.* 1. *num.* 40. *verb. inter mobilia. Gadd. ad l. moventium.* 93. *num.* 2. *D. de verbor. ſignificat. Berlich.* 3. *concluſ.* 29. *num.* 1. *Nizol. allegat.* 34. *num.* 6. 7. *Hering. quæſt.* 8. *de Molend. num.* 29. 30. 31.

Quæ omnia noſtro idiomate appellantur VAERENDE, DRYVENDE, REPPELYCKE, BEWEGELYCKE, TILBAERE GOEDEREN, quibus etiam continentur HAVE, quæ utplurimum ſe moventia ſignificant.

5. Et licet mobilium vocabulo in genere omnia uti dictum contineantur, quæ moveri apta ſunt, ut regulariter *moventium & mobilium appellatione idem ſignificemus. l. moventium.* 93. *D. de verb. ſignif.* reſque *mobiles vel animales* inter ſe confundantur. *l. à Divo Pio.* 15. §. 2. *D. de re judicat.* Et propterea teſtator, ſi omnia ſua *moventia* legavit, non ſolum animalia verum etiam mobilia, non ſolum res animantes,

tes, ſed etiam inanimantes, reliquiſſe cenſeatur. *d.l. 93. D. de verb. ſignf. Si tamen apparet defunctum animalia duntaxat, quia ſe ipſa moverent, moventia vocaſſe*, (ſubintelligendum hic, *ſecus erit*) *quod verum eſt. d. l. 93.*

Sicuti quandoque per *moventia*, non animalia ſe moventia intelliguntur, ſed mobilia inanimata. Ita *ſupellex eſt domeſticum patrisfamilias inſtrumentum, quod neque argento aurove facto, vel veſti adnumeretur. Id eſt, res moventes, non animales. l. 1. 2. D. de ſupell. legat.*

6. Quod ſi ſtrictiſſimè *mobilium* vocem accipiamus, inter ſe diſtinguuntur mobilia in ſpecie accepta, & ſe moventia. Illa paſſivam habent ſignificationem, quia aliunde moventur, id eſt ab extrinſecâ quâpiam cauſa; dum in ſe nullum habent principium, per quod de loco in locum transferantur. Talia ſunt, vaſa nummi, candelabra, ſcamna, ligna, lectus, veſtes. Hæc quæ naturâ ſua ſe movent, id eſt internum motus habent principium, quo ſe de loco in locum conferant, licet forte extrinſecâ causâ impellente, ſignificationem habent activam. Quales ſunt ſervi, boves, equi, aſini aliæque res animales. Unde in jure infrequens non eſt, ut res dividantur in mo-

mobiles immobiles & ſe moventes. *l.* 30. *in princ. Cod. de jure dot. l. unic.* §. 7. *verb. exactio. verb. fin. autem. Novell.* 112. *cap.* 1. *De Roias epitom. ſucceſſ. c.* 30. *num.* 15.

7. Cujus explicationis occaſione quæſitum eſt, num quæ mobilia in ordinem moventium, vel etiam ea omnia in ordinem immobilium poſſint transferri? Certum eſt ea quæ ſunt mobilia in ſtrictiſſimâ ſignificatione, ſtante tali ſtatu, quem tenent, ad naturam ſeſe moventium per teſtatorem transferri non poſſe. Sicuti res mobiles, vel ſe moventes, quæ prorſus alieni ſunt generis, per naturam vel uſum, immobilium eſſentiam induere non poterunt. Neque enim natura, vel ratio naturalis auctoritate legis vel Senatus immutari poteſt.

Quod autem nec lex nec Senatuſconſultum facere audet, multo minus id audebit pactio vel conventio privatorum. *l.* 2. *ibique Gothefred. in not. D. de uſufr. ear. rerum quæ uſu. Auguſt. Barboſ. loci comm. argum. loc.* 81.

Quia tamen vocabulum mobilium in latiore ſignificatione etiam animalia complectitur, potuit teſtator vocabuli ſpecialitatem ad generalem reducere ſignificationem & vice verſâ. *l.* 93. *D. de verb. ſignif.*

Quâ

Quâ ratione ſuâ deſtinatione poterit mobilia immobilibus adſcribere ad aliquem juris effectum. *per l. 3. D. de perpet. & tempor. præſcript.* Quo ſenſu à vocabuli proprietate in gratiam teſtatoris recedimus, ſi evidens ſit ejus voluntas, licet ea verbi proprietati adverſetur. *Arg. d. l. 93. l. 12. l. fin. D. de ſupell. legat. l. 60. D. de legat. 3. Gadd. ad d. l. 93.* vid. quæ ſcripſi ſub init. hujus libelli.

CAP. XV.

1. *Mobilia ſunt ruta, cæſa, ſi à fundo fuerint ſeparata.*
2. *Inſulæ itidem natatiles ſeu fluctuantes eodem jure cenſentur.*
3. *Sicuti fructus à ſolo ſeparati.*
4. *Piſces etiam cuſtodiæ causâ in piſcinâ conſervati.*
5. *Cæteraque animalia.*
6. *Mobilia ſunt quædam arte facta, ut navis.*
7. *Molendina aquatica.*
8. *Molendina caſtrenſia.*
9. *Res Venales.*
10. *Supellex, cæteraque utenſilia,* &c.

1. Hacte-

1. HActenus explicui naturam mobilium in ſe ad oppoſitionem rerum immobilium, quæ ſoli ſunt, vel ſolo adhærent. Ratio ordinis ſuaderet, ut quæ ſunt mobilia ſigillatim proponerentur. Verum quoniam ea varias complectuntur ſpecies, quæ forent innumerabiles; etiam mobilium *per ſpecies deſcriptio in vulgatiſſimâ juris pragmatici parte habetur, & nulli non ſit eâ de re repetita tractatio*, uti loquitur Argentræus; nonnullas, vel ſaltem præcipuas, & inter eas magis controverſas, hoc capite ſum explicaturus, eaſque ad certa capita, ad quæ omnes facile revocantur, tranſlaturus.

Et quidem mobilium quædam ſunt naturalia, quædam arte facta. Inter ea, quæ ſunt naturalia, licet aliqualem requirant hominum curam & laborem, ſicuti omnes fructus naturales, primum ſibi locum vindicabunt ruta cæſa, quia à fundo ſunt ſeparata, adeoque non amplius pro parte fundi habentur. *l. in rutis cæſis. D. de verb. ſignif.*

Quod tamen ita intelligendum erit, ſi ſylva fuerit cædua, ſi lapides cæſi è lapidicinis, ſi marmor, ſi auri vel argenti venæ renaſcantur. Aliter enim immobilium jure,

re, id eſt eo quo fundus, cenſebuntur, nec cedent fructuario. *arg. l. vir in fundo.* 18. *D. de fund. dotal. l. ſi ex lapidicinis.* 32. *D. de jure dot. Tiraquell. de retract. gentil.* §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 119. *Coler. deciſ.* 286. *p.* 2. *num.* 151. *Choppin.* 1, *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 19. 22. *vid. Rauchbar. quæſt. jur. civil. & Saxon. part.* 1. *quæſt.* 35. *num.* 41. *Tomingium deciſ.* 31. *num.* 22. *Berlich.* 3. *concluſ.* 35. *per totum. & num.* 7.

2. Inſulæ natatiles ſeu fluctuantes, etiam mobilium ordini adſcribuntur; quales ſunt quæ virgultis, vel quâ aliâ levi materiâ in mari vel flumine ſuſtinentur. Quæ uti fundo fluminis non adhærent, ita etiam iis qui propè ripam prædia poſſident jure acceſſionis non cedunt. *l. pen.* §. 2. *verb. videamus. D. de adquirend. domin. D D. ad* §. 22. *inſtit. de rerum diviſ. Berlich.* 3. *concluſ.* 30. *num.* 15. dixi *diſput. de inſularum generat.*

3. Fructus à ſolo ſeparati, etiam mobilium nomine veniunt. Qui per operam hominis mobiles ſunt facti, dum à fundo ſegregantur. Quia tamen naturâ ſeparari potuiſſent, ideo & hoſce inter mobilia naturalia collocavi. *l. fin. verb. ſed & divus. D. de requir. reis. Speculat. tit. de fructibus. num.* 3. *verb. ſed pone prælatos. Mantic.* 9. *conject.* 3. & 5.

4. Piſces inſuper qui cuſtodiæ ſolummodo causâ in piſcinâ conſervantur, non ut ibi creſcant, non ut multiplicentur, in ſe ſunt mobiles, etiam mobilium jure reguntur. *l. lines* 15. *D. de action. empt. Tiraquell. de retract. gentil.* §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 117. *Sebaſt. Medic. de Venat. cap.* 17. *Peck.* 5. *de teſtam. conjug. cap. fin. num.* 3. *Berlich.* 3. *concluſ.* 30. *num.* 21. *& concluſ.* 45. *num.* 18. *& ſeqq.* verum de hiſce etiam paulo latius egi in anteceſſum.

5. Servi, boves aratorii, equi, aſini reliquaque pecora ſe moventia, mobilium jure reguntur, licet ad aliquem juris effectum, ut in anterioribus fuit explicatum, immobilium lege regerentur. *l. moventium.* 93. *D. de verbor. ſignif. l.* 3. §. 13. *D. de adquir. poſſeſſ. l. fundo ſicuti inſtructus.* 2. *ſub fin. verb. item pecora ſtercorandi. Cod. de verb. ſignif. Tiraquell. de retract. gentil.* §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 119. *Mantic.* 9. *de conject. ultim. volunt.* 3. *num.* 1.

6. Mobilia arte facta etiam ſunt varia, ut navigium, quod licet ad aliquem juris effectum rebus immobilibus comparabatur, in ſe tamen licet ſit ampliſſimum, res mobilis cenſeri debet. *l. vi facit.* 20. §. *quod in navi.* 4. *D. quod vi aut clam. l.* 1. §. *ſi quis.* 7. *D. de vi & de vi armat. Tiraqell. de retract.*

gentil.

gentil. §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 90. *Menoch. de recuper. poſſ. remed.* 1. *num.* 41. *verb. quare eo loco.* Unde colligunt interpretes, ſi res immobiles ſint diſtractæ, vel permutatæ, vel donatæ, earum alienatione navigium non contineri. *Gothefred. ad l.* 1. §. 7. *D. de vi & de vi armat.*

7. Molendina, quæ aquis innatant vel ſupernatant ad inſtar cymbarum, qualia paſſim in Rheno aliiſque fluminibus viſuntur, quæ rotâ per vim aquæ defluentis motâ circumaguntur. *l.* 26. §. 1. *D. de inſtruct. vel inſtrum. Caſtrenſ. in l. fluminum. D. de damn. infect. Tiraquell. de retract. gentil.* §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 90. *& ſeqq. Franciſc. Ripa in l. quo minus.* 2. *quæſt.* 18. *D. de flumin. & ne quid in flumin. Cardin. Tuſchus. tit.* 5. *litt. M. concluſ.* 303. *num.* 5. *Peckius* 5. *de teſtam. conjug. cap. fin. diſſentit. Hering. tract. de Molend. quæſt.* 8. *num.* 16. *& ſeqq.* forte ſecundum ſenſum in materiâ immobilium in anteceſſum à me explicatum. *vid. DD. apud Scheffer. quæſt. jur. Practic. quæſt.* 39.

8. Cujus etiam juris eſſe cenſentur molendina, quibus in caſtris utuntur, quæque inter machinas bellicas referuntur, adeoque in expeditionibus plauſtris impoſita circumvehuntur. *Argentræus ad Britann.*

tann. artic. 408. *num.* 9. *Theodor. Reinckinck de retract. conſanguinit. quæſt.* 3 *in quibus cauſ. jus protimis. locum habeat. num.* 118.

9. Res venales, quales etiam ſunt merces in tabernâ, ſui natura itidem ad mobilium ordinem pertinent, licet non ſemper mobilium legato contineantur, & non aliter, quam ſi legatarius probaverit de his quoque ſenſiſſe teſtatorem. vid. *l.* 34. *D. de pignor. & hypothec. l. pediculis.* §. *idem cum quæreretur. D. de auro & argent. Covarr.* 2. *var. reſol.* 5. *Mantic.* 9. *conject.* 3. *num.* 12. *Petr. Heig. quæſt.* 15. *Berlich. part.* 3. *concluſ.* 30. *num.* 22.

10. Denique mobilia arte facta, vel in quibus cernitur potiſſimum hominum artificium, ſunt ſupellex, cæteraque vel patrisfamilias utenſilia, vel inſtrumenta fundi, aut perſonæ, quæ ædibus vel fundo non ſunt affixa, vel non inhærent, vel non depoſita perpetui uſus gratiâ. *l.* 44. *& ſeqq. l.* 60. *& ſeqq. D. de leg.* 3. *l.* 2. 3. *D. de ſupell. legat. Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num. fin. Gadd. ad l. moventium.* 93. *D. de verbor. ſignif.*

Cap. XVI.

1. *Quædam de ſe non ſunt mobilia, & tamen mobilium jure reguntur.*
2. *Pecunia mobilium appellatione continetur.*
3. *Etiam omne aurum.*
4. *Non tamen auri & argenti appellatione pecunia continetur.*
5. *Sub mobilibus non ſemper nomina & actiones continentur.*
6. *Molendinum fixum, ad aliquem juris effectum pro re mobili habetur.*
7. *Etiam ædificium.*
8. *Res immobilis aliquo caſu in locum rei mobilis ſuccedit.*

1. PRæter ea quæ ſui natura ſunt mobilia, & alia reperiuntur, quæ licet in ſe talia non ſint, mobilium tamen lege reguntur, habitâ ratione quorundam effectuum. Quorum quædam nec ſunt mobilia nec immobilia, quædam ſui naturâ immobilium conſtituunt ſpeciem.

2. Quæ

2. Quæ ſeparatam bonorum ſpeciem à rebus conſtituunt corporalibus, ſic ut nec mobilium nec immobilium veniant appellatione, ſunt varia. Pecunia enim, quæ non ut corpus, verum ut quantitas ſpectatur, utpote in quâ nonniſi valoris habetur ratio, mobilium lege regitur, ſi causâ præſidii ſit repoſitâ. *l. ſi chorus*. 79. §. 1. *D. de legat*. 3.

Unde etiam Imperator Juſtinianus in *novell*. 22. *cap*. 45. §. 1. 2. poſt immobilia bona, recenſet *pecuniam & alias res mobiles*. *vid. Merlin*. 2. *de Pignor. tit*. 1. *quæſt*. 48. *Peck. de teſtam. conjug*. 5. *cap. fin. Mantic*. 9. *de conject. ult. volunt. tit*. 3. *num*. 2. *Teſſaur. deciſ*. 160. *Berlich*. 3. *concluſ*. 30. *num*. 2. *& ſeqq*.

Niſi tamen ex loci aſſignatione conſtet teſtatorem mobilium legato quæ alibi habet nummos non comprehendiſſe. *l*. 78. §. 1. *in med. D. de leg*. 3.

Vel etiam pecunia deſtinata ſit ad immobilium rerum emptionem, uti cenſent inter DD. non ignobiles. *Chaſſan. ad Burgund. Rubric*. 4. §. 24. *verb. ſont aſſignez. diſſ. Gail*. 2. *obſ*. 11. *num*. 3.

Vel forte pecunia ſit hæreditaria, in Germaniâ admiſſa, de quâ in ordine ad ſuccedendi modum adhibitâ diſtinctione

ſatis prolixè egit *Berlich. 3. concluſ.* 31.

Vel uſus aut mores à Jure Romano recedant; quos recedere ſtatuunt *Pinell. ad l. 1. Cod. de bon. matern. part.* 2. *num.* 45. *Teſſaur. deciſ.* 160. *num.* 7. Quamvis non omnes DD. hunc verbi uſum agnoſcant, vid. *Gail.* 2. *obſ.* 11. *num.* 7. *Everhard. conſil.* 170. *num.* 13. *Berlichi part.* 3. *concluſ.* 30. *num.* 2. *& ſeqq.* vid. quæ ſcripſi in antecedentibus.

Nec aurum vel argentum tantum ſignatum, quae eſt pecunia mobilium appellatione continetur, verum etiam omne aurum, ſive factum, ſive infectum. *arg. l. ſi chorus* 79. *ſ.* 1. *D. de leg.* 3. *Mantic. de conject. ultim. volunt. cap.* 5. *num.* 1. 2. 3. *Peck.* 5. *de teſtam. conjug.* 30. *num.* 2. *Pinell. ad l.* 1. *C. de bon. matern. part.* 2. *num.* 45. *Teſſaur. deciſ.* 160. *Gudd. ad l. mobilium* 93. *D. de verb. ſignif.* diſſentire videtur *Paul.* 3. *ſentent.* 6. *poſt medium, Mobilibus, inquit, legatis, aurum vel argentum non debetur, niſi de eis manifeſtè ſenſiſſe teſtatorem poſſit oſtendi.* Cujus ſententia eorum moribus conformis eſt, qui vocabulo mobilium ſupellectilem & inſtrumenta deſignant. Ut cum legatâ ſupellectile, non debeatur aurum vel argentum, niſi hoc quoque ſenſiſſe teſtatorem doceat legatarius.

rius. *l. cum quidam. D. de ſupell. legat.* etiam à mobilium legato excluſum videatur aurum & argentum, ſive factum ſive infectum: *Pinell. Teſſaur. loc. cit. vid. Berlich. 3. concluſ. 30. num. 2.*

4. An ergo auri & argenti appellatione continebitur pecunia ſignata? Non continebitur; neque enim aurum & argentum continet omne mobile, ſed aliquas mobilium rerum ſpecies; ut licet mobilium vocabulo contineatur pecunia, non tamen propterea auri & argenti ſignificatione comprehendatur. *l. 19. in princ. D. de aur. & argent. legat. Cujac. 6. obſ. 31.*

Quod an moribus ſit admiſſum digladiantur inter ſe pragmatici. Nam in Galliâ auro & argento ſolam pecuniam intelligi ſcribit *Tiraquell. de retract. gentil. §. 1. gloſſ. 20. num. 1. 2. Mornac. in l. 2. Cod. de conſtit. pecun. Autum. in cenſur. ad l. 27. §. 1. D. de aur. & argent.* Alii omne aurum, & factum, & infectum, & ſignatum, tali legato contineri judicant. De quibus confer *Groenw. de ll. abrogat. ad l. 27. §. 1. D. eod.*

5. An etiam mobilium appellatione continebuntur nomina & actiones? Forte continebuntur ſecundum Paulum 3. *ſent. 5. poſt medium. Omnibus quæ in domo ſunt legatis,*

tis, cautiones debitorum, rationeſque ſervorum legato cedunt. Verum exiſtimat Cujacius ibidem inſerendam eſſe particulam negantem, ut legendum ſit, *legato non cedunt.* propter *l. quaſitum.* §. 45. *D. de inſtruct. vel inſtrum. leg. l. ſi mihi Mævia.* 92. *in princ. D. de leg.* 3. Quibus ſubjiciam *l. quaſitum.* 78. §. 2. *D. eod.* Et quidem perſonales actiones de moribus comparari mobilibus, eorumque legibus regi; dixi in antecedentibus. vid. *Mantic. 9. conject.* 3. *num.* 9. 10. *ubi Bartol. & alii.*

Unde ſi quis omnium mobilium factus ſit legatarius, etiam debitorum nomina ad eundem ſpectare; poſt *gloſſ. in authent. de non alienand. rebus Eccleſ.* §. 1. *tenent Bartol. in l.* 1. *Cod. ſi adverſ. tranſact. Maſuer. in praxi. in* §. *item nomina ſeu debita. tit. de ſociet. Choppinus* 1. *de Moribus Pariſ.* 1. *num.* 10.

6. Supereſt ut detur aliquod ſpecimen eorum, quæ licet ſint immobilia, tamen ſecundum aliquot juris effectus, mobilium legibus reguntur.

Ita molendinum fixum, ſi aquæ periculo ſubjaceat, id eſt metus ſit diluvionis aquarum, vel alvei mutationis; dum in ripâ fluminis erat conſtitutum, pro mobili habebitur; ut ſi minoris fuerit, ſine de-

creto

creto jure divendatur. *Angel. in l. non ſolet. D. de petit. hæred.* Licet illud molendinum ad alium juris effectum, ut in materiâ retractus gentilitii pro re immobili habeatur, adeoque retractui ſubſit conſanguinitatis ſecundum. *Tiraquell. de retract. gentil. p.* 1. §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 92. *Zoeſ. D. ad l. Commiſſor. num.* 83.

7. Ædificium itidem rei mobili adnumeratur, quando periculo ſubjacet aquarum, vel chaſmatis, aut terræ motus, idque ad illum juris effectum, ut licet minoris fuerit, non interpoſito decreto magiſtratus rectè diſtrahatur. *l. ita autem.* §. 9. *D. de adminiſtr. tutor. vid. l. lex quæ tutores. in princ. Cod. eod. Bertazol. de clauſul. inſtrum. clauſ.* 19. *gloſſ.* 3. *num.* 5.

8. Denique res immobilis quandoque in locum rei mobilis ſubintrat, ut ſi res mobilis creditori ſit debita, nec bona debitoris reperiant emptorem; tunc enim res præſtantiſſima immobilis debitoris à judice æſtimata in locum rei mobilis ſuccedet, inque ſolutum cedet creditori. *Nov.* 4. *cap.* 3. *auth. hoc niſi. Cod. de ſolut.* Licet hanc ipſam authenticam ab uſu fori receſſiſſe ſcribat *Groenw. de ll. abrogat. ad d. loc.*

Cap. XVII.

1. *Mobilium & immobilium variæ ſunt differentiæ.*
2. *Mobilia facile alienantur.*
3. *Immobilia de moribus piæ cauſæ relinqui non poterant citra amortizationem.*
4. *Ratio conſtitutionis redditur.*
5. *Non videtur in Belgio Fœderato ea conſtitutio eſſe in uſu.*
6. *Immobilia quorundam moribus exteris non relinquuntur.*
7. *Peregrini in Regno Galliarum de bonis mobilibus ibi repertis non teſtantur.*
8. *Non eadem reſpectu mobilium & immobilium ſuccedendi ratio ubique ſervatur.*
9. *Variæ circa Eccleſiæ bona differentiæ fuere ſervatæ.*
10. *Aliter mobilium, quam immobilium procedit alienatio.*
11. *Quibus caſibus res mobiles Eccleſiæ inſervientes abalienantur.*

12. *Tem-*

12. *Temporalia Eccleſiæ, quæ mobilia, facile alienari poterunt.*
13. *Immobilia non item.*
14. *Varii caſus fuere excepti.*
15. *Quæ ſolemnia ſervanda ſint in immobilium Eccleſiæ alienatione?*
16. *Jure Canonico & moribus noſtris non omnia ea deſiderantur ſolemnia.*
17. *Bona Eccleſiæ non ſunt fiſcalia, vel in fiſcum redacta.*
18. *Bona mobilia, non omnia tamen hoſtibus communicari poterunt.*
19. *Res quæ ſoli ſunt hoſtibus non rectè relinquuntur.*
20. *Res hoſtium adhibitâ diſtinctione nobis poterunt legari.*
21. *Immobilia in Daniæ regno à nobilibus Rex pretio non comparat.*
22. *Aliter reſpectu matrimonii mobilia, aliter immobilia repetuntur, & alienantur.*
23. *Moribus plerorumque locorum prohibita de jure dotium alie-*

natio

natio ſublata eſt.

24. *Mobilium & immobilium contemplatione conjugalis communionis non eadem eſt ratio.*

25. *De conſuetudine Saxoniæ maritus non ſuccedit uxori in immobilia, nec quicquam ex iis lucratur.*

26. *Filiæ quorundam moribus in mobilia ſuccedunt, & ab immobilibus removentur.*

27. *Apud Siculos fiſcus in immobilia non ſuccedit.*

1. MObilium immobiliumque naturam conſequuntur quædam affectiones, qualitates & differentiæ, quibus mobilia ab immobilibus ſeparantur. Quas licet alii forte attigerint, & in tranſitu propoſuerint, non tamen omnes vel pleraſque, nec meo judicio ſatis clarè, quod erat faciendum, eas explicarunt. Ut me nec oleum nec operam perditurum exiſtimarem, vel poſt aliorum meſſem ſpicilegium tantum inſtituturum, ſi quibuſdam capitibus eas complexus fuiſſem.

2. Ordiar à differentiâ celebratiſſimâ, quæ

quæ in alienatione cernitur bonorum, tum mobilium tum immobilium. Cum enim mobilia regulariter non adeo videantur pretioſa, ſaltem caſibus variis ſubjecta, etiam facili negotio alienari poterant.

3. Hinc mobilia abſolutè relinqui poterunt, & licet idem de immobilibus inſpecto jure Romano ſtatuendum foret in ordine ad Eccleſiam, vel alia pia loca. *l.* 1. *l.* 12. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* variorum tamen locorum ſtatutis immobilia manui mortuæ non relinquuntur, priuſquam à Principe fuerint impetratæ amortizationis litteræ, vel uti loquitur *Choppinus* manus mortuæ codicilli, litteræ veniales ſeu licentiæ, de immobilibus relinquendis domibus Religioſis; Rege vel Principe morticinâ de prædiorum poſſeſſione exorato.

4. Et non immerito tale ſtatutum introduxerunt Galli, Angli & Veneti, introduxit in Provinciis Belgii *Carol. V. Imperator* 20. *Nov.* 1524. Quod aliter bona immobilia familiis eripiantur, adeoque familiæ in ſuo ſtatu & dignitate conſervari nequeant. Accedit quod durum eſſet pleraque Provinciarum bona, collectis & tributis eximi, id quod obtinebat ſecundum Canoniſtas, qui Seculari juriſdictioni bona Eccleſiaſticorum exempta volebant.

5. Quæ

5. Quæ poſtrema ratio quia in noſtris ceſſat ditionibus, nihil etiam impedit, quo minus quis Eccleſiæ, orphanotrophio, diſpenſatoribus eleëmoſynarum ſua relinquat citra licentiæ litteras, ſive fuerint immobilia, ſive mobilia.

Vid. tamen de hâc materiâ. *Rebuff. in proœm. ad Conſtit. Regias. gloſſ.* 5. *num.* 21. *Boërium ad Bituric. tit.* 11. §. 7. *Chaſſan. ad Burgund. tit.* 7. §. 14. *Argentr. ad Britann artic.* 510. *gloſſ.* 1. *num.* 3. *Fabrum Cod.* 1. *tit.* 1. *def.* 44 *Peckium de Amortizat. Gail.* 2. *obſervat.* 32. *Choppin. de Moribus Pariſ.* 1. *tit.* 1. *num.* 8. *Gregor. Tholoſ. ſynt. jur. univ. libr.* 45. *cap.* 2. *num.* 8. *Wameſ.* 3. *conſil.* 98. *num.* 5. *Bodin.* 5. *de republic.* 2. *Polidorum Anglic. Annal. libr.* 17. *Grot.* 2. *introd.* 5. & 16. *Perezium Cod. de incert. perſon. & Cod. de Sacroſ. Eccleſ. num.* 7. *Sand. de feud. Gelriæ tract.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. *num.* 42. *Goris tract.* 3. *adverſ.* 8. *Sent. ſuprem. Cur. Holland. & Provinc. ann.* 1540. *Jan.* 18. *impreſſ. in parte* 1. *ſententiarum. num.* 115. *mea de Statut. Concurſ. ſect.* 5. *cap.* 2. *num.* 13.

6. Quorundam ſimiliter locorum conſuetudine prohibitum eſt immobilia exteris alienari vel oppignorari. *Gail.* 2. *obſ.* 119. *num.* 3. *Chaſſan. ad Burgund. rubric.* 9. §.

10.

10, *verb. l'homme de main morte. Hippol. de Marſil. ſingul.* 16. *Mevius ad jus Lubecenſ. part.* 1. *tit.* 2. *artic.* 15.

Idem quod de antiquis Gallorum moribus teſtatur *Choppinus libr.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 5. Quod Hebræis præter res ſe moventes aliquid comparare ibidem non fuerit permiſſum.

7. Sicuti è contrario in Regno Galliarum peregrini de ſuis mobilibus ibidem repertis teſtari nequeunt, de mobilibus alibi jacentibus poſſunt. Quod jus appellant Albinatus, ſeu eorum qui alibi nati ſunt, id eſt qui pro peregrinis habentur. Nam omnia quæ ibidem poſſident Coronæ relinquere tenentur; niſi tamen beneficio regio jus indigenarum, vel litteras naturalitatis, uti loquuntur, conſecuti fuerint. *Choppin.* 1. *de. Domanio Franc.* 12. *num.* 2. *Petr. Gregor. Tholoſ. Synt. jur. univerſ. libr.* 3. *cap.* 29. & *cap.* 8. *Baro ad tit. Inſtit. quibus non eſt perm. facere teſtam. in comment. poſterior. Deſſel. in not. ad Zoeſ. inſtit. eod. num.* 18. *vid. tamen Imbertum in Enchirid. jur. Gall. verb. bona.* ex parte diſſentientem.

8. Non eadem etiam vel ex teſtamento vel ab inteſtato ſuccedendi ratio ſervatur mobilium & immobilium contemplatione, quod

quod ubique fere in mobilia, etiam extraneorum admittatur ſucceſſio, in hæc nonniſi agnatorum, vel cognatorum. Et quoniam variantia obſervantur locorum ſtatuta, quæ omnia recenſere foret moleſtum & forte minus gratum, ea propter lectorem benevolum ad auctores qui hæc in unum collegerunt remittam. vid. *Choppinum* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 8. *poſt Peckium de teſtam. conjug. libr.* 2. *cap.* 1. *num.* 15. *Goris adverſar.* 3 *cap.* 14. *& adverſ.* 4. §. 4. 9. *Sand. de feud. Gelriæ tit.* 1. *cap.* 1. *num.* 44. *& Johann. Sand.* 4. *deciſ. tit.* 4. *def.* 4. *Perez. Cod. de legat. num.* 28. *Deſſel. in notis ad Zoeſ. inſtit. tit. de Teſtament.*

9. Circa Eccleſiæ bona, ſequentes differentiæ fuere ſcrvatæ; quæ immobilia Epiſcopus, vel Presbyter, vel Clericus alius in minoribus ordinibus conſtitutus, in officio quæſiviſſet, Eccleſiaſticis reditibus aggregabat, quod tantum bona haberet commendata. Mobilia vero ſibi ſuiſque retinere poterat, per *Can. Epiſcopi de rebus.* 12. *quæſt.* 1. *cap. cum in officiis de teſtam. Annæus Robert. rerum judicat. libr.* 4. *cap.* 3.

A quâ ſententiâ non omnino recedit jus civile, quæ prohibet ne Epiſcopus in ſuum

aut

aut ſuorum inferat commodum, quod in Eccleſias vel alios pios uſus erat relictum, vel impendendum. *l.* 42. §. 1. *verb. nam cum quidam. Cod. de Epiſc. & Cleric.*

10. Quod ſi ſpectemus bonorum Eccleſiæ alienationem non una mobilium & immobilium habebitur ratio. Diſtinguunt enim inter res Eccleſiæ, quarum in re ſacrâ faciendâ, vel circa ritus peragendos aliquis erat uſus, ut ſunt menſæ, vaſa, calices, &c., & inter res Eccleſiæ, quæ Miniſtris Sacrorum inſerviebant, vel in pauperum cedebant alimoniam, vel in templi fabricam; quas appellant res Eccleſiæ temporales.

Res prioris generis, ſive mobiles ſive immobiles, non debebant alienari; quia eas hominum commerciis eximunt, ſic ut nullius ſint in bonis. Id eſt ab uſu prophano ad uſum pium, ad cultum divinum per devotas mentes ſunt deſtinatæ, quæ beneficiorum memores divinorum in ſignum gratitudinis, in auctorem quaſdam ex iis reverti voluerunt. *l.* 1. *in princ. verb. quod autem. l.* 6. §. *ſacra.* 2. *l. ſacra.* 9. §. *fin. D. de rerum diviſ. l.* 2. *ibique Gothefred. in not. D. de Pollicitat.*

Excipiebantur tamen aliquot caſus, quibus res Eccleſiæ mobiles, immediatè cul-

tui

tui divino intervientes abalienari poterant. Ut ſi non ſuppetant aliæ pro remuneratione meritorum in Eccleſiam collatorum diſtribuendæ. *Barboſ. ad l.* 14. *num.* 13. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Si res illæ mobiles fuerint confractæ, ut uſui cui fuerant deſtinatæ nequeant inſervire. *l.* 17. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. ibique Barboſ. num.* 9. *& auth. ſeq. Cod. Sand. de prohib. rerum alienat. cap.* 7. Si ſuperflua & inutilia ſint vaſa, & urgeat æs alienum Eccleſiæ, à quo eam liberari neceſſum eſt. *Auth. præterea Cod. de Sacroſ. Eccleſ.*

12. Res ordinis poſterioris, quales appellantur temporales, ſunt prædia, prata, paſcua, agri, vineæ, frumentum, fænum, oleum, vinum, &c. Et mobilium ab immobilibus admittunt ſeparationem. Mobilium facilior eſt diſtractio, & majoribus ſubjectæ ſunt periculis. Ut ſive ſervando nequeant ſervari, ſive poſſint, etiam nullâ juſtâ vel neceſſariâ causâ interveniente, rectè in alios precio interveniente transferantur. *Nov.* 120. *cap.* 10. *l.* 14. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* quæ loquitur de rebus immobilibus, aliiſque mobilibus, vel tertium rerum genus conſtituentibus, ſed tamen immobilibus comparatis. *Extravag. ambitioſæ. de rebus Eccleſ. non alien. Menoch.* 2.

arbitr.

arbitr. caſ. 172. *num.* 2. 3. 4. 5. *Sand. de prohib. rerum alienat. cap.* 7. §. 1.

13. Immobiles vero temporales, quæque immobilium jure reguntur, Principum Conſtitutionibus alienari regulariter prohibentur. Et quidem per Leonem & Anthemium Imperatores majoris Eccleſiæ (ita loquebantur) rerum immobilium inhibita fuit alienatio. *l.* 14. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Quod poſtmodum ab Anaſtaſio Imperatore ad Eccleſias quæ diſpoſitioni Patriarchæ ſuberant Conſtantinopolitano, porrectum eſt. *l.* 17. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Juſtinianus denique Imperator omnino rem piæ cauſæ deſtinatam alienari vetuit. *Nov.* 120. *Auth. hoc jus porrectum. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.*

14. Excipiebantur tamen quidam caſus à regulâ jam datâ, quos DD. ad quatuor capita revocarunt; neceſſitatem evidentem, utilitatem, pietatem & incommoditatem. *Gilken. ad Authentic. hoc jus porrectum. Cod. de Sacroſ Eccleſ. num.* 14.

Caſus erat æs alienum grande, quo Eccleſia premitur: ſic enim religioni favendum erat, ut cuique ſuum vel ſibi debitum tribueretur. *Nov.* 46. *nov.* 67. *cap. quoniam vero contigit. nov.* 120. *cap.* 10.

Redemptio captivorum, quos opprimit

miſeria, quique cum carceris ſquallore noctes dieſque pugnant; ut eos liberari opus pium ſit judicatum. §. 8. *inſtit. de rerum diviſ. l.* 21. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. nov.* 7. *cap.* 8. *verb. niſi tamen. nov.* 120. *cap.* 9. 10.

Pauperum alimonia, quos fames premit; ne pereant illi qui Chriſti ſanguine redempti. *l.* 21. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.*

Permutatio rei Eccleſiæ cum aliâ re Eccleſiæ alterius, in utriuſque commoditatem. *nov.* 54. *cap.* 2. *novell.* 120. *cap.* 7. *auth. item ſibi invicem Cod. de Sacroſ. Eccleſ.*

Quando Eccleſiæ pro re datur, alia quæ res ejuſdem valoris, vel majoris. *nov.* 7. *cap.* 2. §. 1. *Auth. ſed & permutare ibique Barboſ. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. nov.* 120. *vid. Treutler. vol.* 1. *conſil.* 85. *num.* 21. *Zoeſ. tit. decretal. de rebus Eccleſ. alien. vel non.*

15. Non aliter tamen res Eccleſiæ immobiles in caſibus prænominatis, potiſſimum dum propter æs alienum, diſtrahuntur, quam ſi divenditis prius mobilibus & ſuperfluis, minuſque neceſſariis, poſt 20. dierum proſcriptionem ad haſtam diſtrahantur, & præferatur qui vicerit licitatione. *nov.* 120. *cap.* 10.

16. Licet Jure Canonum, quod uſu fori, ubi Pontificis agnita eſt auctoritas, alia requirantur ſolemnia. *Can. placuit. cum ſeqq.*

12.

12. *quæſt.* 2. *Modeſtin. Piſtor. vol.* 1. *conſil.* 40. *num.* 54.

Sicuti moribus noſtratium non alia deſideratur ſolemnitas, quam quæ in rebus minorum immobilibus diſtrahendis exigitur, id eſt ut adſit Magiſtratus decretum, vel etiam Ordinum Provinciæ, in quâ Eccleſiæ bona immobilia ſita. Id quod ex Anaſtaſii erat Conſtitutione *in l.* 17. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Rittershuſ. ad nov.* 1. *cap.* 8. *num.* 44.

Idem quod in Friſiâ obſervari certum eſt, ſecundum Friſiæ ordinum decreta. *libr. Statutor. Friſiæ* 1. *tit.* 13. *conſtit. ann.* 1542. *Mart.* 29. *& libr.* 4. *tit.* 2. *conſtit. ann.* 1590. *Decembr.* 10.

17. Nec tamen quis intulerit Eccleſiæ bona temporalia cum fiſcalibus eſſe confuſa, vel in fiſcum unquam redacta (niſi ſicubi id flagitaverit extrema neceſſitas) propterea quod Procerum decretum ad eorum deſiderent alienationem. Id enim ideo factum eſt, quia Superiores vel etiam Supremi territorii Magiſtratus, ſunt cuſtodes utriuſque tabulæ, & curam habent religionis, circa ſacra verſantur, adeoque provident ſuâ directione, ne quid Eccleſia, vel Eccleſiæ relicta bona detrimenti capiant, vel citra neceſſitatem ab uſu pio, cui

 deſti-

deſtinata erant, ad uſum prophanum transferantur. Sanctio Pacis relig. in German. ann. 1555. §. 21. & Ordinum Ultraject. ann. 1620. Jun. 20. & ann. 1656. April. 23. Decretum Ordinum Generalium Belgii fœderati in causâ bonorum Eccleſiaſticorum diſtrictus Sylvæducenſis, ann. 1630. Jul. 11. *Hoornbeeck ad Bull. Innocentii p.* 61. 91. *&* *ſeqq.* 103. 119. 120. 156. 157. *Conſult. Juriſc. Bataviæ part.* 2. *conſil.* 367. *liber* 4. *Statutor Friſiæ tit.* 2. *conſtit. alleg.*

18. Eſt alia mobilium & immobilium differentia, quod mobilium nobis cum hoſtibus ſit commercium. Id eſt cum hoſtibus contractum emptionis venditionis celebrare poterimus. Idque probatur vel eâ ratione, quod quædam merces ſpeciatim excipiantur, quarum non eſt commercium. Quales ſunt ad bellicum apparatum neceſſariæ, quibus hoſtes inſtruerentur magis, vel quæ maxime ad vitæ ſuſtentationem requiruntur, vel quæ hoſtes allicerent ad invadendos imperii limites. *l. cotem.* 11. *D. de publican.* Sicuti ſunt aliæ res, quas ipſis non rectè vendimus, ipſi tamen eas nobis licitè divendunt. *l.* 2. 4. *Cod. de commerc. & mercator.*

Cumque exceptio confirmet regulam in caſibus non exceptis. *l.* 1. *in princ. verb.* *hujus*

hujus rei fortiſſimum eſt argumentum. D. de offic. ejus cui mandat. eſt jurisdictio. conſequitur aliarum rerum mobilium non exceptarum nobis cum hoſtibus eſſe commercium.

19. Verum res hoſtium ſoli vel immobiles non ſunt in noſtro commercio, ſicuti nos fundos noſtros hoſtibus divendere non debebimus. *l.* 103. *D. de verbor. obligat.* Neque etiam agri hoſtium veteranis in præmia aſſignantur. *l.* 15. *D. de rei vindic. l.* 11. *D. de evictión.*

20. An ergo quæ ſunt hoſtium nobis legari poterunt? Adhibitâ mobilium & immobilium differentiâ omnino poterunt. Nam de mobilibus nulla difficultas, verum circa immobilia potiſſimum ambigitur, propter *l.* 104. §. 1. *D. de legat.* 1. ubi Sabinus ait rem hoſtium poſſe legari, ſi aliquo caſu pretio comparari poſſit.

Et differentiæ ratio eſt manifeſta cur hoſtium mobilia comparari poſſent, immobilia non niſi ſub conditione. Quoniam mobilia facile de loco in locum transferri poterunt, ut quæ à nobis empta haud difficulter acquiruntur, quod in hoſtico non maneant. Verum quæ immobilia ſunt hoſtium, dum in hoſtico jacent, ſuum ſitum non mutant, & hoſtem in hoſtico poſſidere

immobilia, non feret hoſtis. Ut propterea ad *d. l.* 104. §. 1. ſit reſpondendum mobilia ſimpliciter legari poſſe, immobilia tum demum, cum utiliter nobis poterunt adquiri; quod accidit tempore induciarum, quo emi poterunt. Ita judicat *Gædd. de contrah. ſtipulat. cap. 6. num.* 52. rejectâ Donelli ſententiâ, qui inter mobilia & immobilia diſcrimen admiſit, quaſi ea legari ſolummodo potuerint, hæc nullo modo. *Hilliger. ad Donell.* 8. *comm.* 11.

21. Singulare jus etiam obtinet in regno Daniæ circa immobilium diſtractionem, quod ea Rex Daniæ à nobilibus emere prohibeatur; ut tamen à mobilium emptione non repellatur, uti refert *Hering. de Molendin. quæſt.* 8. *num.* 6. Sicuti in alio caſu ex antiquo jure Hebræorum ſubditorum immobilia Rex Iſraëlis donare non debebat, ut forte mobilia potuerit. *Ezechiel. cap.* 46. *verſ.* 18.

22. Aliter inſuper reſpectu matrimonii mobilia aliter immobilia repetuntur. Nam immobilia in dotem data, ſoluto matrimonio actione de dote repeti poterunt, mobilia vero intra annum jure novo exiguntur. *l. unic. §. exactio. Cod. de rei uxor. actione. vid. Menoch.* 2. *arbitr.* 53. *conſ.* 5. *Miſcell.* 6. *num.* 6. *Balduin. de jure noviſſ.*

2. p. 123. Zans de diviſ. bonorum. libr. 1. cap. 9. num. 1. & ſeqq. Illa à marito alienari non poterant, hæc quidem poterant ſi maritus eſſet ſolvendo. *l. 1. D. de fund. dotal. l. ſi rem mobilem. 47. D. de adquir. poſſeſſ. l. 9. Cod. de rei vindic. l. 3. 30. Cod. de jure dotium.*

Juſtinianus tamen Imperator rei immobilis alienationem extendit ad rem mobilem, quæ ſervando ſervari poteſt; cujus alienatio non procedit, niſi adhibitâ ſolemnitate renovati ab uxore conſenſus poſt biennium. *l. unic. §. & cum lex Julia. Cod. de rei uxor. actione. Auth. ſive à me. Cod. ad Senatuſc. Vellejan. vid. Coraſ. 1. miſcell. 1. Bacchov. ad Treutl. vol. 2. diſp. 7. theſ. 9. litt. C. Sanden de prohibit. rerum alienat. cap. 10.*

23. Moribus tamen plerorumque locorum non tantum mobilia, verum etiam immobilia alienare poterit maritus uxore conſentiente. *Sand. 2. tit. 4. def. 2. 3. 4. & de prohibit. rerum alienat. cap. 10. num. 14. ibique DD. Herbaj. rerum quotid. cap. 13. §. 6. Statut. Ultrajectin. rubric. 22. art.* 2. Etiam id poterit maritus invitâ uxore, quando communem habent prolem. vid. Sententiam Curiæ Suprem. Holland. *Jul. poſtremo die ann. 1560. impreſſam ann. 1662.*

in

in libr. 1. *ſentent. numero* 135. *Berlich. part.* 3. *concluſ.* 29. *num.* 89. *& ſeqq. Rauchb.* 1. *quæſt. jur. Saxon.* 34.

24. Alia porro in ſocietate conjugali mobilium & immobilium quoad mores & locorum ſtatuta, cernitur differentia. Licet enim jure Romano per nuptias bonorum non introducatur communio, quanquam quodammodo commixta eſt bonorum familia. *l.* 1. *D. rerum amotar. l.* 1. §. 17. *D. ad Senatuſc. Silanian. l.* 4. *Cod. de crim. expilat. hæred.* Alibi tamen conſuetudo omnium bonorum per nuptias inducit communionem, alibi mobilium, non item immobilium in commune illatorum; ad matrimonii onera ſuſtinenda.

In Luſitaniâ, Gelriâ, Hollandiâ, Ultrajecti, apud Tranſiſulanos, Brugenſes, omnium indiſtinctè bonorum inducitur communio. *Pinell. ad l.* 1. *Cod. de bon. matern. part.* 1. *num.* 27. *Grot.* 2. *introduct. juris Holland. ſect.* 11. *Neoſtad. de pact. antenupt. obſerv.* 4. 9. *Statutum Ultrajectin. rubric.* 22. *Tranſiſulan.* 2. *tit.* 2. §. 2.

Alibi vero nonniſi mobilia fiunt communia, & quæſita ſtante matrimonio communicantur. Quæque ſunt communia mobilia in manu & poteſtate viri conſtituuntur, adeo ut de iis pro arbitrio diſponat,

modo

modo uxori competenter provideant. Ita *Argentræus in Brittonum leges. artic.* 408. *Chaſſan. ad Burgund. rubric.* 4. §. 2. *& in textu, particeps eſt.*

Quam differentiam mobilium & immobilium ratione communionis in pleriſque Francicis Provinciis obtinere refert *Argentræus loc. alleg.*

Quod etiam in Hiſpaniâ receptum eſſe poſt *Lupum & Corneum* 4. *conſil.* 86. *d. gloſſ.* 1. *affirmat. vid. tamen Pichard. in Comment. ad inſtit. poſt* §. 20. *tit. de action. pag. mihi.* 201. 202.

Idem in quibuſdam Belgii locis, & apud noſtrates in Provinciâ Friſonum admiſſum eſt, ubi exclusâ immobilium communione, tantum admittunt communicationem quæſitorum ſtante matrimonio, etiam apud rurales quoſdam mobilium in commune illatorum. vid. *Molinæum ad Pariſ.* §. 37. *Gudel.* 1, *de jure noviſſ.* 7. *&* 8. *Everhard. conſil.* 136. 192. *Chriſtin. ad Mechlinienſ. tit.* 9. §. 11. *Sand.* 2. *tit.* 5. *defin.* 3. *Herbaj. rerum quotid. cap.* 14.

25. Quod lucrum ſpectat nuptiale diverſa itidem ſecundum locorum conſuetudines eſt mobilium & immobilium ratio. Nam conſuetudine Saxoniæ, maritus uxori non ſuccedit in bona immobilia, neque de im-

immobilibus uxoris quicquam lucratur. *Sneidwin. ad tit. inſtit. de ſucceſſ. ab inteſtato. rubric. de ſucceſſ. viri & uxor. jure Saxon. Matth. Weſembec. conſil.* 285. *num.* 17. 18. *Berlich.* 3. *concluſ.* 29. *num.* 30. *& ſeqq. & num.* 67. *num.* 103.

Succedit vero maritus in bona mobilia, non habitâ differentiâ nobilis ſit, an ignobilis, bona ſint dotalia, an paraphernalia, concurrant liberi an cognati; exceptis mobilibus quæ ad geradam pertinent, id eſt utenſilibus uxoris, quæ tranſeunt ad filias, vel ſi filiæ deficiant ad proximas cognatas, etiam excluſis filiis. *Zobel. differ. juris civil. & Saxonic. part.* 3. *differ.* 9. *&* 10. *Coler. de proceſſ. execut. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 231. *Sneidw. loc. alleg. num.* 26. *& ſeqq. Oſwald. Hilligerus ad Donell.* 9. *comm. cap.* 1. *litt. R. Heringius de Molendin. quæſt.* 8. *num.* 73. 76.

26. Quod attinet ſucceſſionem in bona, quorundam moribus ab immobilibus arcentur filiæ, non itidem à bonis mobilibus. Id quod jure Anglorum, Gallorum aliorumque ad familiarum conſervationem, gentiſque perpetuitatem eſt introductum. *Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 5. *Heringius de Molendin. quæſt.* 8. *num.* 62.

Sicuti jure feudali ſi feudum fuerit pro-

prie

priè dictum excluduntur filiæ licet natu majores, & maſculis cedunt. *Zoeſ. tract. jur. feudal. cap.* 10. *Gudel. de jure feud. p.* 3. *cap.* 1.

Quod olim etiam in gente Judaicâ obtinuit, ubi filiabus nonniſi alimenta debebantur, & poſt mortem patris decima bonorum portio dotis nomine tribuebatur, nec unquam extantibus maſculis ad immobiles poſſeſſiones filiæ fuere admiſſæ; ne forte bona familiarum de familiâ in familiam, de tribu in tribum transferrentur. *Numer.* 27. *verſ.* 8. *Selden. de Succeſſ. Hebræorum libr.* 2. *cap.* 8. 10. 11.

27. Siculorum etiam ſingularis eſt conſtitutio, ne fiſcus in bona immobilia condemnati ſuccedat, verum ad ſola mobilia admittatur. Idem quod in causâ violatæ pacis publicæ Frederici I. edicto fuit cautum. §. *ſi vero violator pacis. de Treugâ & Pace. Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ.* 1. *num.* 5. Quibuſcum fere noſtratium mores conveniunt, quibus fiſco Principis è bonis ſubjectorum capitalis criminis reorum, nonniſi certa pecuniæ ſumma 80. utplurimum librarum, id eſt florenorum 80. excepto majeſtatis crimine, infertur.

Cap. XVIII.

1. *Aliter mobilia minorum aliter immobilia diſtrahuntur.*
2. *Aliter etiam hypothecæ ſupponuntur, niſi ſint illata, & invecta in prædium urbanum.*
3. *Jure Romano minores quævis bona ſuis relinquunt curatoribus, moribus non item.*
4. *Plerorumque moribus immobilia relinqui nequeunt.*
5. *Ceſſante ratione conſtitutionis, & ipſa ceſſat.*
6. *Moribus Ultrajectinis ne quidem mobilia relinqui poterunt.*
7. *Caſus juris, ſeu facti ſpecies proponitur.*
8. *Hæres teſtamentarius ad legatorum præſtationem eſt adſtrictus.*
9. *Legitimus hæres legatorum onus non ſuſtinet.*
10. *Si plures ſint hæredes teſtamentarii, illi ſolum legata præſtant, qui nominatim ſunt onerati, non cæteri.*

11. *Qui rem certam aufert hæreditariam ex legis diſpoſitione, non tenetur pro ratâ legatorum onus ſubire.*
12. *Hæres citra beneficium inventarii adiens hæreditatem ad omnium legatorum tenetur præſtationem, licet ſine ejuſdem culpâ res quæpiam in hæreditate ſint deperditæ.*
13. *Sibi quis imputare debet, quod nimium credulus.*
14. *Scriptus hæres, cui portio hæreditaria aufertur, nihilominus ſolus præſtandorum legatorum oneri obſtringitur.*
15. *Si hæreditatis deminutio facto evenerit teſtatoris legatorum fiet deminutio.*
16. *Removentur quædam objectiones.*

1. CIrca minorum immobilia atque mobilia etiam obſervanda ſunt diſcrimina, quæ uſu non carent. Nam ſi agatur de rebus minorum mobilibus & ſe moventibus, in iis diſtrahendis nec decretum, nec

nec ſolemnis auctio & ſubhaſtatio erat neceſſaria; maxime ſi ſint tales, in quas non caderet affectio, ſic ut publicè eas diſtrahi ſufficeret. Idque obtinebat jure anteriori non adhibitâ diſtinctione ſervando ſervari potuerint, an non. Juſtinianus tamen Imperator in iis rebus, quæ ſervando ſervari poſſunt idem juris ſervari voluit, quod in rerum immobilium divenditione. *l.* 1. §. *&* *ſunt verba. D. de rebus eorum, qui ſub tutel. l.* 22. *Cod. de admin. tutor. vid. Baldum in l.* 1. *num.* 5. *Cod. ſi propt. public. penſit. Salicet. in l. fin. Cod. eod. Peregrin. de jure fiſci libr.* 6. *tit.* 4. *num.* 14. *Argentr. ad Britann. art.* 481. *gloſſ.* 3. *num.* 7.

Quod ſpectat minorum eorumque qui ſub curâ ſunt conſtituti res immobiles & eas quæ immobilibus adnumerantur, nonniſi causâ cognitâ, & interpoſito judicis decreto alienari poterunt. *tit. D. de rebus eorum, qui ſub tutel. l.* 22. *Cod. de admin. tutor. Montan. cap.* 33. *de tutel. Sand. de prohib. rerum alienat. cap.* 1. §. 2. *ibique DD.*

2. Sicuti res immobiles minorum, & quæ mobiles ſervando ſervari poſſunt, non oppignorantur, niſi interveniente judicis auctoritate. *tit. D. de rebus eorum, qui ſub tutel.*

Niſi tamen fuerint illatæ & invectæ in

Urba-

Urbanum prædium pro minore utiliter conductum; quæ pro penſione locationis tacitè ſunt obligatæ pignori. *l.* 1. §. *fin. l.* 2. *D. de rebus eorum, qui ſub tutel. Gail.* 2. *obſ.* 83. *Chriſtin. ad Mechlin. tit.* 8. *de locat. art.* 14. *num.* 7. *vid. Gothefred. ad l.* 1. *D. quæ res pignor. Neguſant. de pignor.* 4. *membr.* 2. *part. num.* 73. 74. *Montan. de tutel. cap.* 33. *num.* 434. *& ſeqq. Sand. de prohibit. rerum alien. c.* 1. §. 3. *num.* 51.

3. Jure inſuper Romano neglectâ differentiâ mobilium & immobilium, quævis bona à minoribus relinqui poterant curatoribus, & bonorum adminiſtratoribus. *l. Aurelius.* 28. §. *eum qui.* 10. *D. de liber. legat. l.* 5. *D. de donat. l.* 17. *Cod. de admin. tutor. Cujac. conſ.* 41. Verum moribus non quævis bona curatoribus, adminiſtratoribus, quæſtoribus, aliiſque ejuſdem generis miniſtris, & redituum erogatoribus, vel diſpenſatoribus relinqui poterunt. Quaſi talia relicta, vel per metum extorta, vel per aſtum & blanditias elicita videantur, dum forte prænominatæ perſonæ, paulo liberaliores ſe præbent circa ſumptuum ſubminiſtrationem. *argum.* §. 4. *inſtit. qui & quibus ex cauſ. l. unic. in fin. D. de offic. conſul.*

Et quidem moribus Galliarum omnis

diſpoſitio tam inter vivos quam teſtamentaria, Tutori, Curatori, Adminiſtratori, & ſimilibus perſonis facta, per Conſtitutionem Franciſci I. Galliarum de ann. 1539. eſt ipſo jure nulla. *Rebuff. tom. 2. ad Conſtit. Regias tract. de donat. & aliis diſpoſ. tutor. Marnand. 2. deciſ. 95. & ſeqq. Choppin. ad Pariſ. libr. 2. tit. 3. art. 21.*

Similem Conſtitutionem in Belgio promulgari curavit Carol. V. Imperator, Princeps quondam Belgarum. Quæ Conſtitutio lata eſt 3. Octobr. 1540. Secutum eſt Edictum Principum Brabantiæ ann. 1611. artic. 12. Conſtitutionis Carolinæ contentum etiam in ll. Friſicas eſt relatum ann. 1602. *Sand. libr. 2. tit. 9. defin. 19.*

Et quidem agit prænominata Carol. Conſtitutio de minoribus annis 25. deque bonorum immobilium alienatione, quocunque modo factâ, ſic ut etiam complectatur hypothecam, & quamcunque juris in re immobili deminutionem, in fraudem excogitatam. *Arg. §. fin. in fin. Inſtit. qui ſui vel alien. jur. Statut. Antverp. cap. 46. artic. 7. Zoeſ. D. de teſtam. num. 37.*

5. Si tamen Conſtitutionis ceſſet ratio, etiam ceſſabit ipſa Conſtitutio; quod ſublatâ cauſâ impediente tollatur effectus. *arg. l. 4. §. toties. D. de damn. infect. l. quod*

con-

conſtit. D. de teſtam. milit. Vaz. Barboſ. Princ. & loci comm. juris utriuſque litt. L. num. 14. *ibique DD. Grot.* 2. *introd. juris Holl. cap.* 16. *num.* 4. *Rodenb. de jure conjug. prælimin. part.* 2. *tit.* 2. *cap.* 4. *num.* 2.

Unde ſi ab inteſtato nihilominus curatores minoribus fuiſſent ſucceſſuri, licet nulla facta eſſet teſtamentaria diſpoſitio, quia non omnino extranei, quia proximi quales ſunt parentes, &c. Conſtitutio ſuas perdit vires. *Zypæi notit. juris Belgici. tit. de teſtament. in verſu, ita hæc. Chriſtin. vol.* 4. *deciſ.* 4. *num.* 10. *Everhard. in topicis in loc. ab abſurdo. Conſultat. Juriſconſ. Batav. tom.* 1. *conſ.* 10. & 114. *aliique apud Groenweg. ad l.* 17. *Cod. de adminiſtrat. tutor.*

Et cum prohibitio Conſtitutionis tantum loquatur de immobilibus, ad mobilia extendi non debebit, ut ea relinquenda ſint diſpoſitioni juris communis. Diſpoſitio enim limitata & reſtricta ultra ſuos limites non extenditur, maximè ſi in eâ ceſſet ratio. *Vaz. Barboſ. Princ. & loc. comm. litt. D. num.* 43. Et unius incluſio eſt alterius excluſio, & vice verſâ. *l. cum prætor. D. de judic. l. cum maritus. Cod. de Procurat. Vaz. Barboſ. Princ. & loc. comm. ibique DD. litt. I. num.* 17. Neque enim quæ odioſa ſunt, & impediunt teſtandi libertatem, contra jus

commune introducta, facile extendi debebunt. *arg. l.* 99. *D. de verbor. ſignif. l.* 14. *D. de legibus. regul.* 15. *de regul. jur. in* 6. *ibique Dynus. Cujac. conſult.* 41. Itaque in Friſiâ judicatum eſſe 20. Decembr. 1630. refert *Sand.* 2. *tit.* 9. *defin.* 19.

6. Moribus tamen noſtræ Provinciæ Trajectinæ, rejectâ bonorum diſtinctione, nec mobilia nec immobilia Curatoribus, vel Adminiſtratoribus inter vivos donatione, vel ultimâ voluntate relinqui poterunt. Forte ut ita omnis anſa & occaſio litium evitaretur, dum vel mobilia relinquendo Conſtitutionibus Principum anteriorum fraudem faciunt, vel anxiè diſquirunt, quid mobilium vel immobilium jure cenſeri debeat. Ordin. deciſ. Ordinum ann. 1659. April. 14.

7. Cujus differentiæ occaſione inquiram in caſum, ſequentem fere in modum quondam mihi propoſitum. Titius minorennis (ſtante ſtatuto quod Curatori relinquere liceat bona mobilia, non item immobilia) facto ſolemniter teſtamento Mævium tutorem hæredem ſcribit cum onere legatorum. Erant vero in hæreditate Titii bona mobilia, & immobilia, ut eorum fuerit capax Mævius, immobilium non item. Controverſia itaque Mævio fuit mota per

eos

eos qui Titio eſſent ſucceſſuri ab inteſtato, idque bonorum nomine immobilium, in quæ Mævius per jus ſtatutarium ſuccedere non poterat. Et quidem ab inteſtato proximi Mævio erepta voluere omnia immobilia, è contrario Mævius ſe eâ lege immobilia reſtituere paratum profeſſus eſt, ſi hæredes legitimi pati velint bonorum immobilium deminutionem atque detractionem pro ratâ legatorum à ſe præſtandorum.

Quæſitum fuit, num Mævius qui ſimplici viâ, & incunctanter minoris adiverat hæreditatem qui ſe defuncti minoris hæredem declaraverat, ſolus ferre teneatur legata, eaque è mobilibus quæ jure capit hæreditario præſtare, an vero ab inteſtato hæredes, qui immobilia bona ſecundum loci ſtatutum abſtulerunt, pro ratâ legatorum onus ferre teneantur?

8. *Reſp.* Certi juris eſt, legatorum onus hæredi teſtamentario incumbere, adeoque legata nonniſi ab hærede teſtamentario præſtari. §. 1. *inſtit. de legat. l. legatum. D. de leg.* 1. *Graſſus* §. *legatum. quæſt.* 3. *argum. nov.* 1. *in princ.* & *vol.* 2. *artic. officium hæredis. quæſt.* 1. Onus enim præſtandi legata ad eum ſpectat, qui in jus omne defuncti ſucceſſit, quique adiit ex teſtamento hæreditatem. Quo facto, legatariis quaſi ex con-

contractu eſt obligatus, ut eum actione perſonali ex teſtamento conveniendi habeant facultatem. §. 5. *inſtit. de oblig. quæ quaſi ex contract. l. ſi quis abſentis. 5. §. hæres. D. de obligat. & action. l. ex facto. D. de hæred. inſtit. l. 1. Cod ſi certum petatur. Bartol. in l. fin. D. de uſufr. Graſſus recept. ſent. §. legatum. quæſt.* 36. *num.* 1. 2. Neque enim quiſpiam alius onerandus eſt, quam qui teſtamento eſt honoratus. *l.* 1. §. *ſi is qui. D. ad Senatuſc. Trebell. l. quidam. §. fin. D. de legat.* 1.

9. Ut à gravamine legatorum hæres ab inteſtato ſit relevandus, quem teſtator nullo dignatus eſt beneficio. *argum. tit. inſtit. de legitim. patronor. tutel.* Nam quicquid bonorum capit immobilium legitimus hæres, non favore teſtatoris conſequitur, qui cum ſilentio præteriit, adeoque ſprevit & contempſit, verum legis beneficio. *l.* 3. §. 2. *D. pro ſocio. Gadd. ad l.* 130. *D. de verb. ſignif. Rittershuſ. ad novell. part.* 7. *in proœm. num.* 1. 2. 3.

Ut niſi expreſsâ voluntate teſtator hæredi ab inteſtato legatorum præſtandorum onus impoſuerit, id eum ferre non oporteat pro ratâ bonorum, quæ capit ab inteſtato. *l.* 1. §. *ſciendum. D. de legat.* 3. *Graſſus.* §. *legatum. quæſt.* 13. *num.* 6.

10. Quæ

10. Quæ ſententia adeo juri conformis eſt, ut licet plures ſint hæredes teſtamentarii, quorum ſinguli ex benevolâ teſtatoris diſpoſitione id quod habent, conſequuntur, ſi tamen nominibus propriis appellati fuerint, ea ſolummodo legata præſtare debeant, quibus nominatim ſunt gravati; non autem reliqui ex teſtamento hæredes pro ratâ, quamvis majorem forte nacti ſint portionem hæreditariam, quam qui erant onerati. §. 1. *Inſtit. de l. Falcid. Graſſus* 2. *ſent. artic. officium hæredis. quæſt.* 8.

Et quanquam in dubio nonnunquam dum plures ſcripti ſunt hæredes, legatorum onus pro ratâ ſinguli ferre teneantur: nunquam tamen ſi alter ſit ex teſtamento hæres, alter ab inteſtato, & ille legatis ſit oneratus, hic non item, præſumendum erit teſtatorem onus omnium æquale facere voluiſſe. *Mantica de conject. ultim. volunt. libr.* 8. *tit.* 2. *num.* 6.

11. Cum nec ille qui ex lege vel ſtatuto, quod legi æquivalet non ex voluntate teſtatoris ejus immobilia aufert hæredi ſcripto, cui illa per ſtatutum relinqui non poterant, portionem vel quotam hæreditariam non auferat, adeoque nec certam & nominabilem partem quadrantem, trientem, quincuncem, ſemiſſem, vel aliam quamcunque,

Ut pro ratâ legatorum onus, ferre non debeat. Res enim certæ qualia ſunt immobilia in hæreditate reperta, ſicuti res quæpiam feudales, non ſunt quota hæreditatis, ut illi quibus immobilia non per teſtatorem obveniunt, onerum pro rata non ſint participes. *Mantica* 4. *de conject. ult. volunt. tit.* 5. *artic.* 7. *num.* 14.

12. Accedit in caſu ſubjecto ratio omnino convincens, quod cum hæres ex teſtamento, citra inventarii beneficium adierit hæreditatem ad ſolida legata præſtanda ſolus ſit obligatus, adeo ut in oneris ſocietatem admittat neminem. *l. fin.* §. *& ſi præfatam. Cod. de jure deliberand. Nov. de hæredibus & Falcidiâ cap.* 2. §. *ſi vero non fecerit. Roeland. à Valle de confect. inventarii part.* 4. *in princ. num.* 1. 2. *& part. ult. in princ. Teſſaur.* 1. *quæſt.* 10. *Hondedæus* 1. *conſil.* 34.

Quod etiam in tantum procedit, ut ſi habitâ deliberatione, rectâ viâ adierit hæreditatem, & quædam res hæreditariæ, quales etiam ſunt immobiles citra ejuſdem culpam vel moram perierint, vel ablatæ ſint, aut ademptæ; adeoque ipſa hæreditas, vel potius patrimonium defuncti multis modis deminutum, quod cum decederet teſtator, majoris erat quantitatis, id ipſum damno hæredis ſit futurum. Ut non ob-

ſtante

ſtante hâc bonorum defuncti deminutione, caſu etiam factâ, hæres integra legata ſolvere teneatur, non verò deminuta pro ratâ deminutionis patrimonii defuncti. §. 2. *verb. ex diverſo. inſtit. de l. Falcid. l. 73. in princ. D. eod. l. ult. §. & ſi præfatam. Cod. de jure deliberandi. Nov. de hæred. & Falcid. cap. hinc nobis. Caſtrenſ. in d. §. etſi præfatam. Roeland. à Valle de confect. inventarii part. 4. §. ſexta eſt utilitas. vid. Chriſtinæum 4. deciſ. 23. num. 3.*

13. Unde cum ſciverit hæres teſtamentarius, qui defuncti Curator erat, bona quædam immobilia in hæreditate reperiri eaque Curatori relinqui non poſſe ſcire debebat, & nihilominus ex teſtamento ſimpliciter adiverit hæreditatem, ſibi imputare debebit, ſi in ſolidum ad legatorum præſtationem conveniatur; quod non aliâ hinc poſſit capi præſumptio quam quod ſemetipſum ad omnium legatorum ſolutionem obligare voluerit. Vel ſi hoc ſibi imponi fuerit paſſus, quaſi tantum pro ratâ teneretur legatorum præſtandorum nomine, non debeat audiri, quod jura ignoraverit, vel nimium hâc in parte fuerit credulus. *Arg. l. 3. in princ. D. ad SC. Macedon. l. 9. D. de juris & facti ignor. l. 1. D. de eo per quem factum erit, Roeland. à Valle de invent.*

invent. confect. part. 5. §. *quid dicendum de hærede. p. mihi.* 253. 254. *Socinus in verb. Hæres. regul.* 214. *fall.* 20.

14. Et quod argumentum ex jure noſtro deſumptum eſt efficaciſſimum, certi juris eſt, ut licet hæredis ſcripti portio per eum, qui tum temporis contra tabulas bonorum poſſeſſionem petebat, fuerit deminuta, ſic ut hæredi bonorum poſſeſſor jure Prætorio dimidium auferat hæreditatis, nihilominus ſcriptus hæres, non ille qui dimidium abſtulit, legata ſolus præſtare teneatur, verum cum deminutione quartæ Falcidiæ, quam de jure ſalvam habere debebat: ut hoc ſolo ſenſu in partem exonerari dicatur. Textus eſt notabilis in *l. & ſi contra.* 35. *D. de vulgari & pupill. ſubſtitut. Ulderic. Zaſius in terminis ad d. l.* 35. *num.* 10. 15. 16.

Unde ſi teſtator ab hærede ſcripto præſtari voluerit legata ex quibuſdam bonis, quæ ſua vel debita dixerat teſtator, & poſtmodum fuerit compertum ea non eſſe amplius, aut nunquam fuiſſe teſtatoris, nihilominus legata præſtabit hæres ſcriptus, nec quia deminutum eſt patrimonium, legata pro ratâ dicentur eſſe deminuta. *l. quidam.* 96. *in princ. D. de legat.* 1. *l. Paula Cillinico.* 27. §. *Julianus.* 2. *in fin. D. de legat.* 3.

15. Idem

15. Idem quod applicandum eſt caſui noſtro propoſito, quo per legem vel ſtatutum, citra voluntatem teſtatoris, res quæpiam hæreditaria ſcripto hæredi aufertur, cujus onus non propterea pro ratâ in auferentem transfertur. Niſi forte illa hæreditatis deminutio facto evenerit teſtatoris. *arg. l. qui hæredi. 44. §. ſi pars. 9. ubi gloſſ. & DD. D. de condit. & demonſtrat.*

Ut ſi à lege vel ſtatuto talis proveniat deminutio, idem obtinere debeat, quod in hæreditate filiæ relictæ, cum onere præſtandorum legatorum. In quâ cum feuda eſſent maſculina, quorum fæmina capax non eſt, ſic ut ad maſculos agnatos ab inteſtato hæredes transferantur, non propterea legata ab hærede filiâ præſtanda, pro ratâ bonorum feudalium, quæ filiæ non obvenerunt, diminuentur.

16. Neque 1. obſtabit, quod quando fiduciarius hæres, qui hæreditatem vel ejus partem reſtituere rogatus eſt, legatis eſt oneratus, etiam ad legatorum præſtationem pro ratâ teneatur fideicommiſſarius, cui portio hæreditaria eſt reſtituta.

Quoniam hic uterque eſt hæres ex teſtamento, non vero alter ex teſtamento, alter ab inteſtato, multo minus ratione bonorum, quorum hæres teſtamentarius non erat

erat capax. Ut cum hic caſus nuſpiam ſit expreſſus, ſine lege loqui erubeſcamus. *l.* 1. §. *fin. l.* 2. *Cod. ad Senatuſc. Trebell. arg. nov.* 18. *cap.* 3. Præterquam quod à diſparatis non procedat deſumpta argumentatio, nec à diverſis valeat illatio. Per jura vulgata apud *Vaz. Barboſ. Princ. & loci commun. litt. A. num.* 143. *& litt. I. num.* 6.

Neque 2. obſtabit, quod non ſit præſumendum Titium teſtatorem minorennem ſuum Curatorem Mevium, quæ ex aſſe ſcripſerat hæredem, omnibus illis legatis onerare voluiſſe, ſi illum bonorum immobilium, (quorum forte non minima portio) incapacem fuiſſe ſciviſſet. Reſp. Quinimo cum jus teſtandi ſit ex legibus, quæ permittunt teſtamenti factionem, adeoque à legibus determinetur. *l. verbis legis.* 120. *l. lege obvenire.* 130. *D. de verbor. ſignificat.* non erit præſumendum teſtatorem quod legibus, vel conſtitutionibus adverſaretur facere voluiſſe. *l. nemo.* 55. *D. de leg.* 1. *l.* 21. *in fin. D. de rebus dub. l. ult. D. de colleg. Duaren. ad d. l.* 55. *in comm. ad tit. D. de legat.* vel in animum ſuum induxiſſe, ut incapaci immobilia relinqueret. *l. ſi quis* 7. *D. de condit. inſtit.* Et quoniam præſumptio levis per graviorem eliditur. *Mantic. de conject. ultim. volunt. libr.* 12. *tit.* 17. *num.* 6.

hoc-

hocque veroſimilius eſt, quod juri magis conſonat. *Mantic. d. loc. num.* 8. *&* 11. præſumendum erit Titium teſtatorem ſe legibus conformare voluiſſe, eaque ſolummodo Mevio hæredi ſcripto relinquere, quæ illi ſecundum leges & mores regionis relinquere potuit. *Hippol. de præſumpt. in verb. teſtator. Vaz. Barboſ. loc. comm. & principia juris litt. V. num.* 71. *& litt. C. num.* 63. Cumque in dubio id præſumendum ſit cogitaſſe teſtatorem quod jus diſponit; quia talis præſumitur voluntas, qualis eſſe debet. *l.* 55. *D. de leg.* 1. *l. ſi duo. D. de adquir. hæred. Bald. in l.* 1. *in* 1. *lect. num.* 5. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Nec teſtator in dubio credatur voluiſſe, quod facere non potuit, aut debuit. *l. Lucius.* §. *pen. D. ad municipal. l. ſi quis ita.* 8. *D. de condit. inſtit.* Non etiam teſtatoris Titii voluntas ad immobilia reſpectu Curatoris, cui ea relinquere non potuit, trahi debebit. vid. *Mantic. de conject. ult. volunt.* 3. *tit.* 2. *num.* 15. *& tit.* 3. *num.* 16.

Non denique obſtabit, quod cum Titius minorennis de jure communi Curatori Mevio immobilia relinquere potuerit, ſit præſumendum, quod ſe ei conformare voluerit. *Reſp.* enim potius eſſe credendum, quod Titius teſtator ſequi voluerit jus ſuæ Provinciæ vel Civitatis, adeoque Curatori ea relin-

relinquere, quæ ſecundum legem & ſtatutum loci relinquere potuit. *Bald. in l. unic. Cod. de confeſſ. Mantic. 3. de conject. ultim. volunt. tit.* 11. *in fin. & libr.* 6. *tit.* 8. *num.* 6.
7. Cum ſtatutum in loco ubi viget, legis habeat vigorem, adeoque magis ſervetur quam jus commune, cui demum ſtatuto deficiente locus eſt. *Mantic.* 3. *de conject. ult. volunt. tit.* 8. *num.* 1. *Groenw. de ll. abrogat. in proœm. ad inſtit.*

Cap. XIX.

1. *Immobilia abſque conſenſu propinquorum apud Saxones alienari non poſſunt.*
2. *Mobilia ab hoſtibus capta de jure civili occupantium fiebant; immobilia non item.*
3. *Mobilia de moribus pignori ſupponi poterunt citra ſolemnia, immobilia non item.*
4. *Mobilia ſimpliciter alienantur, immobilia non niſi coram lege loci.*
5. *Idem quod de moribus Saxonum eſt introductum.*

6. *Ex-*

6. *Excipiuntur de moribus quidam caſus.*
7. *Mobilia cum ſuo onere tranſibant jure Romano.*
8. *Moribus tranſeunt ſine ullo onere, ſecus quam obtinet in immobilibus.*
9. *In mobilibus inter creditores ordo non ſervatur, ſecus quam obtinet in immobilibus propter æs alienum diſtractis.*

1. PRæter bonorum mobilium & immobilium diſcrimina ſunt alia, quæ partim eorum adquiſitionem, abalienationem, tranſlationem, partim alia quæpiam accidentia ſpectabunt. Immobilia ſecundum Saxonum jura abſque conſenſu propinquorum alienari vetantur, mobilia vero omnino irrequiſito eorundem conſenſu in alios transferri poterunt. *Speculat. Saxon. libr.* 1. *artic.* 52. Non aliter atque olim ex edicto Theodoſiano curialis fortunæ municeps de mobilibus pro arbitrio ſtatuebat, de immobilibus, ſiquidem non curiali relinquerentur non item. *l. unic. Cod. de impon. lucrativ. deſcription. Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 8.

2. Mobilia ab hoſtibus capta de jure civili occupantium fiebant, & prædæ nomine, vel manubiarum veniebant. Per prædam intellige, corpora ipſa capta, per Manubias, pecuniam è corporibus divenditis redactam. *Gell.* 13. *noct. cap.* 24. §. 17. *Inſtit. de rerum diviſ. l. ſi quid bello. D. de captiv. & poſtlim. l.* 5. §. *fin. D. de adquir. rerum domin.* Ut tamen quandoque, exceptis hominibus, qui capientium fiebant, publicata fuerint & in fiſcum redacta. *l. pen. D. ad l. Jul. peculat. l. pen.* §. *ſimili. Cod. de donat.* Poſtmodum ex diſciplinâ militari, non aliter atque in veteri teſtamento, omnia quæ ab hoſtibus capta mobilia in commune fuere diviſa. *Deuteron.* 20. & 1. *Regum* 30. *Gregor. Tholoſ. Synt. juris univ. libr.* 20. *cap.* 4. *num.* 6.

Verum immobilia ab hoſtibus occupata jure victoriæ Principi ſeu fiſco fuere applicata, & quandoque veteranis in præmia aſſignata vel diſtracta. *l.* 20. §. 1. *D. de captiv. & poſtlim. reverſ. l. divus Commodus.* 31. *D. de jure fiſci. l.* 16. *D. de adquir. rerum domin. l.* 15. §. 2. *D. de rei vindic. l.* 11. *D. de evictìon. vid. Bocer. de bello cap.* 15. *Hering. de Molendin. cap.* 8. *num.* 69. & *cap.* 13. *per tot. Harpricht. ad* §. 17. *inſtit. de rerum diviſ. Grotium de jure belli & pacis libr.*

3.

3. *cap.* 6. Niſi tamen fuiſſent, qui antiquiorem cauſam haberent, id eſt quibus res captæ jure poſtliminii erant reſtituendæ. *l. ſi captivus.* §. 1. *D. de captiv. & poſtl. Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 7. *Grot. d. libr.* vid. *Sententiam Curiæ Supremæ Provincialis Holland. ann.* 1441. *Novembr.* 19. *in libr. Sententiarum num.* 119.

Sicuti quod capitur ab hoſtibus devictis, ſive ſit mobile, ſive immobile, in jus & poteſtatem venit Imperatoris, ſive ducis exercitus. Neque enim quod devictis hoſtibus capiunt, amplius ex hoſtibus capere dicentur, ſed potius ex republicâ, cujus Imperio id totum ſubjectum eſt. *Can. dicat aliquis.* 23. *quæſt.* 5. *arg.* §. 17. *inſtit. rerum diviſ. l.* 5. *in fin. D. de adquir. rerum domin. Donell.* 4. *comm. jur. civil. cap.* 21. *Bocer. loc. alleg.*

Moribus inquit Boërius, qui poteſt capere mobilia capit, ejuſque fiunt. *deciſ.* 178. *num.* 6. Quod tamen non ita de noſtratium moribus procedere, dicam ad §. 17. *inſtit. de rerum diviſ.*

3. Mobilia de moribus ubique pignori ſupponi poterunt, neque adeundus eſt loci judex, vel etiam alius judex, quam ubi eſſe intelliguntur. Verum in immobilium ſuppoſitione, neceſſum eſt ut ea fiat ſolemniter

niter coram lege loci, ſeu apud acta. Ut mobilium traditio clam fieri poſſit, & ſemotis arbitris, immobilium non item. *Conſtit. Carolina ann.* 1531. 1545. *Radelant. deciſ.* 59. *num.* 6. *Coren obſervat. Suprem. Curiæ* 37. *p. mihi.* 209. In Friſiâ Regiſtratio ſolemnis, id eſt per Secretarium cujuſdam diſtrictus in libro regiſtrationis uti loquuntur facta ſufficit, ut inducatur immobilium hypotheca. *Sand.* 3. *tit.* 12. *defin.* 15. 16.

4. Mobilia de conſuetudine generali ſimpliciter divenduntur, alienantur, transferuntur. Immobilia vero, & quæ immobilibus adnumerantur pleraque, nonniſi per ſolemnem coram lege loci, vel uti in Gelriâ coram Sculteto & Burmannis, id eſt prædia poſſidentibus, tranſlationem vel effeſtucationem alienantur. *Burgund. ad Conſuet. Flandr. tract.* 4. *num.* 16. *Sanden de effeſtucat. cap.* 1. *Goris in addit. ad cap.* 3. *de effeſtucat. & adverſ.* 3. *cap.* 1. *& adverſ.* 4. §. 18. §. 21. *Chriſtin.* 1. *deciſ.* 240. 151. *Conſtit. Politic. Holland.* §. 37. *vid. tamen Statut. Ultraj. rubric.* 28. *Grotius* 2. *introd. jur. Holland. part.* 5. *num.* 17. 18. *Neoſtad. deciſ. Curiæ Holland.* 32. *Groenw. tit. Inſtit. de obligat. ex conſenſ. Ant. Matth. de Auction.* 1. *cap.* 18. *num.* 15.

5. Quod etiam jure Saxonico receptum eſt, ut immobilia cedi, vel oppignorari,

vel alienari non aliter poſſint, niſi coram judice loci ubi jacent. *Lantrecht libr.* 1. *art.* 8.-52. *ubi gloſſ. & art.* 21: *cum gloſſ. Reinard. diſſ.* 1. 3. 4. *Sneidwin. in* §. 1. *num.* 6. *inſtit. de donat. Matth. Weſemb. conſil.* 321. *num.* 48. *Heigius part.* 2. *quæſt.* 17. *Moller.* 1. *ſemeſtr. cap.* 3. *num.* 2. *Treutler. vol.* 2. *ſelect. diſput.* 20. *theſ.* 4. *litt. C. Hering. quæſt.* 8. *de Molendin. num.* 76.

6. Excipiuntur nihilominus ſecundum mores nonnulli caſus, quibus immobilium translatio privatâ lege fieri permittitur. Id quod obtinet, ſaltem reſpectu contrahentium, (non ſemper tamen in creditorum vel tertii cujuſdam præjudicium) in ultimis voluntatibus, pactis dotalibus, conjugali conſuetudinariâ communione, & inſtrumentis familiæ erciſcundæ, vel diviſoriis judiciis. Quæ omnia vim legalis obtinent traditionis, ut dominium verè ſit tranſlatum, modo tamen ea præſtentur, quæ Conſtitutionibus Ordinum Provinciarum circa viceſimam vel triceſimam hæreditatum, vel etiam circa quadrageſimi nummi ſolutionem cauta ſunt. *Zypæi notitia Juris Belgici. tit. de rei vindicat. Neoſtad. Suprem. Cur. deciſ.* 8. *Goris ad Sanden de effeſtucat. cap.* 2. *n.* 34. *& de ſociet. conjug. cap.* 1. *n.* 30. *& cap.* 5. *Chriſtin.* 1. *deciſ.* 362. *Groenw. loc. alleg.*

7. Mobilia inſuper jure Romano forte æque atque immobilia, ſi pignori ſpecialiter data fuiſſent vel ſuppoſita, cum ſuo onere tranſibant, adeoque actio hypothecaria adverſus quoſcunque pignorum poſſeſſores intentari poterat. Quod maxime procedit in illatis & invectis in prædium urbanum, quæ cum penſionis nomine ſint tacitè obligata, etiam à quocunque detentore poterant avocari. Sicuti quæ illata ſunt in prædium ruſticum & expreſsè oppignorata pro mercede fundi, etiam à quocunque poſſeſſore repeti poterant. Quem in finem introducta erant juris remedia, Serviana & quaſi Serviana, denique interdictum Salvianum. §. 7. *Inſtit. de action. l.* 1. §. 1. 2. *D. de Salvian. interd.* Excipiebatur caſus *l.* 9. *D. In quibus cauſ. pign. tacitè contrah.* ubi mancipium in prædium urbanum inductum, ſine onere tranſibat, id eſt rectè manumittebatur, niſi fuiſſet incluſum. Quod ita forte receptum erat favore libertatis, cujus gratia multa præter juris communis regulas ſunt introducta. *arg.* §. *fin. Inſtit. de donat.* §. 6. *Inſtit. qui & ex quibus cauſ. manum. vid. Menoch. de Salviano interd. in remed. poſſeſſ. num.* 127. *Annæum Robertum* 4. *rerum judic. cap.* 19. *ante med.*

8. Verum moribus noſtris, & fere generali

nerali conſuetudine inter mobilia & immobilia obſervanda eſt differentia ratione pignoris vel hypothecæ. Hæc puta immobilia, congruenter juri Romano, tranſeunt cum ſuo onere, ſi fuerint in alium tranſlata per debitorem, vel aliter citra conſenſum expreſſum vel tacitum creditoris ad alium pervenerint. *l.* 7. *l.* 8. §. 10. *&* 15. *D. quibus mod. pign. vel hypothec. ſolv.* Modo hypotheca coram lege loci, quod moribus deſiderari in anteceſſum monui, fuerit conſtituta vel celebrata. Ubi tamen aliquod ſervant diſcrimen inter hypothecam generalem omnium bonorum, & ſpecialem coram lege loci factam, ubi ea ſita. Nam in hâc noſtra Provinciâ generalis hypotheca eorum bonorum, quæ non ſubjacent ditioni judicis, coram quo ea conſtituitur nihil operatur, ut res immobilis debitoris tranſeat ſine ullo onere. Verum in Friſiâ generalis hypotheca adhuc aliquem habet juris effectum. In vicinâ Hollandiâ, generalis hypotheca cum effectu contrahitur, coram quocunque judice iſtius Provinciæ, in quâ bona ſita, licet non ſita ſint intra territorium illius judicis. Et propterea generalis, eo quo dictum eſt modo celebrata, licet anterior, (excipe Stat. Urbis Amſtelod.) poſtponitur ſpeciali poſteriori, coram ju-

 dice

dice loci conſtitutæ. *Leeuw. Parat. jur. noviſſ. libr.* 4. *part.* 1. *cap.* 8. Idem quod apud Mechlinienſes videtur obſervari, ut ſpecialis hypotheca poſterior rei immobilis præferatur generali anteriori. vid. *Chriſtin. ad Mechlinienſ. tit.* 13. *artic.* 14. *num.* 5.

Alibi immobilia quæ generali hypothecâ includebantur, tum demum ſine onere tranſeunt in tertium, cum non in fraudem hypothecæ alicui ex causâ lucrativâ obvenerunt. vid. *Boër. ad Bituric. tit.* 7. *§. fin. Rebuff. ad Conſtit. Regias rubric. de litter. obligat. artic.* 4. *gloſſ.* 2. *num.* 39. *Neguzant. de pignor. in* 2. *membr.* 7. *part. num.* 6.

Quod autem ſpectat mobilia, vel expreſsè vel tacitè pignori ſuppoſita, tranſeunt ſine ullo onere, ſic ut ea perſequi nequeat creditor, ſi per debitorem vel aliter ad tertium devenerint poſſeſſorem. Atque hinc nata eſt illa notiſſima parœmia, *mobilia non habent ſequelam.* Quod ita Gallici ſcriptores pronunciant, *que biens meubles n'ont point de ſuite*, id eſt quamdiu ſunt penes debitorem mobilia, à quolibet creditore jure pignoris capi & diſtrahi poterunt. *Chaſſan. ad Conſuet. Burgund. rubric.* 5. *tit. des rentes vendues à rachat.* §. 3. *verb. videmus quotidie. p. mihi.* 963. Et quando ad manum tertii pervenerunt jure legitimo, nullo reme-

remedio ab eodem poterunt avocari, quod ſine affectatione tranſierint. *Boër. ad Bituricenſes tit. 7. §. 2. Choppin. 3. de Moribus Pariſ. tit. 3. num. 5. Faber Cod. ad Trebell. def. 11. num. 8. 9. & tit. Cod. de pignor. defin. 21. Chriſtin. ad Mechlin. 7. art. 8. & 1. deciſ. 274. Zypæi notit. juris Belgic. tit. de pignor. action. Grot. 2. introd. jur. Holland. part. 48, num. 34. Coren obſerv. 38. Groenw. ad l. 14. Cod. de obligat. & action. Conſult. JCC. Batav. part. 3. conſil. 174. num. 3.*

Niſi tamen ſtatuto loci contrarium fuerit cautum, id quod de Rhynlandiæ conſuetudine ſcribit *Grot, 2. introd. 48. verb.* MAER INDIEN *vid. Carpzov. juriſprud. forenſ. part. 2. conſtit. 23. def. 12,*

Niſi etiam, quod jure Romano obtinebat, quæſtio eſſet de penſione locationis, quo caſu dominus ædium invecta & illata ab inquilino, jure prælationis retinet. *l. 2. 3. 4. D. in quibus cauſ. pign. vel hypoth. tacitè. l. ſi non inducta. l. fin. Cod. eod. l. 4. Cod. de pact.* ſi modo prius illa capiat ſecundum mores, vel arreſto includat, vel capioni ſe objiciat dominus locator. vid. *Annæum Robertum libr. 4. rerum judic. cap. 19. ante med. Ordin. Ultraj. rubric. 25.*

Ut ni hoc fecerit poſtmodum emptori rerum mobilium nullam de cætero movere

poſſit controverſiam. *Conſuet. Arverniæ tit. des executions. art.* 53. *Anjou tit. de præſcript. artic.* 421. *Coûtume de Blois. tit. des dettes perſonnelles artic.* 298. *Gregor. Tholoſ. Syntagm. jur. univerſ. libr.* 23. *cap.* 11. *num.* 3.

Niſi denique pignora judicilia mobilia ſint ejus æſtimationis, ut vendita utrique creditori ſatisfaciant. *Gregor. Tholoſ. Synt. juris libr.* 1. *cap.* 9. *num.* 9.

9. Hinc alia profluit differentia, quod cum in diſtractione bonorum immobilium pignori obligatorum ſervetur inter creditores ordo, ut qui conflati æris alieni tempore antecedebant, cæteris paribus, poſterioribus præferantur: cum qui prior eſt tempore potior ſit jure. *l.* 5. *l.* 12. *in princ. D. qui potior. in pign. l.* 3. *Cod. qui potior. l.* 15. *Cod. de rei vindic. Can. qui prior. de regul. jur. in* 6. ſecus tamen de moribus obtineat in diſtractione mobilium pignori obligatorum, in quibus creditorum ordo non ſervatur. Ut ſi poſterior creditor jure pignoris mobilia cæperit, eaque diſtraxerit, per priorem creditorem conquerentem diſtractio nequeat impediri. Hinc priores in debito, & quidem privilegiati, aliis poſterioribus minus privilegiatis non præferuntur, ſi modo minus diligentes in pignorum capione fuerint: cum jura vigilantibus ſint

ſcrip-

ſcripta. *l.* 24. *in fin. D. quæ in fraud. credit. ſunt alien. Chaſſan. ad Burgund. tit. des rentes venduës.* §. 3. *videmus quotidie. Mores Pariſ.* §. 170. 178. *Choppin. ad eoſdem libr.* 1. *cap.* 1. *num.* 3.

Cap. XX.

1. *Inter mobilia & immobilia multum intereſt habitâ ratione fideicommiſſorum.*
2. *Aliter res mobilis, aliter res immobilis in dotem datur.*
3. *Aliter res mobilis, aliter res immobilis divenditur.*
4. *Agri per modum & menſuram divendi ſolent, non item mobilia.*
5. *Jus retractus gentilitii in immobilibus admittitur.*
6. *Lex* 2. Cod. de reſcind. vendit. *in immobilibus locum habet, in mobilibus non item.*
7. *Aliter in executione rei judicatæ diſtrahuntur mobilia, aliter immobilia.*
8. *Pater Tutor vel Curator bonorum filii obærati, prius mobilia, dein*

dein immobilia divendet.

9. *Moribus quorundam locorum hæc paulo aliter obtinent.*

10. *Ubi fiat miſſio in immobilia?*

11. *Quæ ratio ineunda in ære alieno perſolvendo, ſi alius ſit mobilium, alius immobilium hæres?*

1. QUod ſpectat bona fideicommiſſaria, ſeu quæ reſtitutionis oneri ſubjacent, multum intereſt, mobilia ſint relicta, an immobilia, idque reſpectu reſtitutionis abalienatorum. Immobilia etenim omnino ſunt reſtituenda, & ſi fideicommiſſum fuerit conditionale. *l.fin. Cod. comm. de legat. & fideic.* Verum mobilia, licet reſtitutioni ſint obnoxia, ſi tamen alienata fuerint, non ipſa, verum eorum pretium erit reſtituendum, & quando minori pretio, vel non juſto abalienantur, de juſto hæredes tenebuntur. *tit. Inſtit. de ſingul. rebus per fideic. relict. Cravett. conſil. 295. in fin. & conſil. 316. num. 5. Mantic. de conject. ult. volunt. 7. tit. 6. num. 1. Menoch. 4. præſumpt. 197. l. Imperator. §. fin. D. de leg. 2. l. ſi rem & pretium. D. de petit. hæredit. Mantic. 7. de conject. ultim. volunt. 8. num. 22. Vincent. Fuſar. de fideic. ſubſtit. quæſt. 624.*

2. Jure

2. Jure Romano contemplatione dotis conſtituendæ, aliter res mobilis, aliter immobilis in dotem dari poterat. Quando enim mulier dotem conſtituere volebat, ad hunc juris effectum ut mereretur propter nuptias donationem, ſiquidem res fuerit mobilis, ſufficiebat eam depoſitam & conſignatam fuiſſe, & perinde erat atque ſi data fuiſſet. Quod ſi res eſſet immobilis, eam obtuliſſe ſufficiebat, & dationi comparabatur oblatio. *Auth. dos data. Cod. de donat. inter virum & uxor. Petrus Antibol. in tractat. de Muner. ſecund. part. principii. num.* 23.

3. Ulterius, quando venditur vel traditur res mobilis, non illæ quæ circa rei immobilis tranſlationem circumſtantiæ deſiderantur. Neque enim re mobili divenditâ, quicquam circa locum vel ſitum eſt exprimendum, quod loco non coarctentur. Verum quando res immobilis, puta fundus vel domus diſtrahitur, & locus, & loci locus, & duo confines, vel vicini utrinque, quandoque etiam qui è regione ſiti, ſunt exprimendi, & in inſtrumento contractus apponendi; adeoque per fines & latera, per qualitates res ſunt deſcribendæ. *l. forma. D. de cenſibus. l. demonſtratio. in princ. D. de condit. & demonſtrat. l. eos terminos.* 12. *D. fin. regundor. Bartol. in dd. ll. Bald. in rubric. Cod.*

Cod. de contr. empt. quæſt. 22. *Bertazol. clauſul.* 19. *gloſſ.* 12. 14. *num.* 1. *& clauſul.* 20. *gloſſ.* 4.

4. Quinimo inter immobilia ſi agri divendantur, non ædificia, per modum & menſuram divendi ſolent; quæ omnia in mobilium venditione non obſervantur, niſi quædam corpora veluti trabes, vel aſſeres ad quantitatem fuerint diverditi. *Arg. l. forma. D. de cenſibus. l. ſi duorum.* 42. *l. Titius* 48. *D. de action. empt. l. qui fundum.* 40. *D. de contrah. empt. ibique DD. l. qui fundum. D. de evictione. l.* 14. §. 1. *D. de pericul. & comm. rei vendit. vid. Fachin.* 2. *controv.* 27. *Farinac. Fragment. crimin. part.* 2. *verb. identitas rei immob. Gomeſ.* 2. *reſol.* 2. *num.* 16. *Fabrum Cod. libr.* 4. *tit.* 28. *defin.* 3. 4. *Gomeſ.* 2. *reſolut.* 2. *num.* 16. *Mantic. de tacit. & ambig.* 4. *tit.* 17. *Neoſtad. deciſ. Cur. Holland.* 18.

5. Quando de jure feudali, & conſuetudinario hodierno, verſamur in jure proximitatis, ubi illud admiſſum eſt, multum intereſt mobilia an immobilia ſint diſtracta, vel alio quo contractu emptioni ſimili, exceptâ permutatione, in alium tranſlata. Neque enim ad bona mobilia, vel quæ mobilium lege reguntur extenditur retractus gentilitius: ut tamen ad immobilia, quæ-

que

que jure immobilium cenſentur referatur. *Tiraquell. de retract. gentil. part.* 1. §. 1. *gloſſ.* 5. *Maſuer. in* §. 1. *de retract. Johann. Lucius in placitis ſummæ Curiæ. libr.* 9. *tit.* 3. *Zans de bonor. diviſ. libr.* 1. *cap.* 10. *Chaſſan. ad Burgund. tit. de retract. artic.* 1. *vid. Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ.* 1. *tit.* 1. *num.* 6. *Theodor. Reinckinck de retract. conſang. quæſt.* 3. *in quib. cauſ. jus protimis. locum habeat. num.* 10.

Ratio differentiæ hæc videtur eſſe, quod non ita circa mobilia cadat affectus, neque inquiramus fuerint majorum, vel extraneorum. Ut propterea ceſſante affectione circa mobilia gentilitiæ redemptioni non ſit locus. *arg. l.* 3. *D. de in lit. jurand.* Natura enim mobilium vilis eſt, fluxa & mutabilis, ut prædeceſſorum veſtigia, virtutumque memoria in iis retineri nequeat. *arg. l. lex quæ. Cod. de adminiſtr. tutor. l. fin. Cod. quand. decret. opus non eſt. Matth. Weſemb. conſil.* 26. *num.* 43. *Gregor. Tholoſ. Synt. jur. libr.* 26. *cap.* 2. *Hering. de Molend. quæſt.* 8. *n.* 58. 60.

Secus quam obtinet in bonis immobilibus, ubi propter affectionem retractui conſanguinitatis locus eſt. Quid ſi enim majorum fuerit domus, in quâ parentes, vel nos ipſi concepti nati & educati ſumus, in quâ crevimus, maximum vitæ tempus ſocialiter

ter

ter cum charâ conjuge, cum liberis dilectis, cum conſanguineis familiariter viximus. Quid ſi fundus ſit gratiſſimus, deliciæ & oblectamentum noſtrorum progenitorum, in quem recedentes beatam & tranquillam vitam vixerunt, procul à curâ, ſollicitudine, à negotiis publicis, quæ quandoque vitæ turbant requiem. Ut demum fælices deprædicari potuerint, cum ſecuritate gaudens tugurium inhabitantes, ſuis bobus paterna rura colentes, procul eſſent ſemoti à triſti curis & ſollicitudinibus palatio. *vid. l. ſi emptionem.* 35. *D. de minor. cap. conſtitutus. de in integrum reſtit.* §.*pen. qualiter olim feudum alien. poſſit. in uſibus feudor.*

6. Multum inſuper intereſt res mobilis an immobilis ſit divendita habito reſpectu *ad l.* 2. *Cod. de reſcindendâ vendit.* Nam ſi res mobilis pretio diſtrahatur, maxime ea quæ vilis eſt, remedium *d. l.* 2. ceſſabit, licet quis fuerit deceptus ultra juſti precii dimidium. Ut hic permiſſum ſit contrahentibus invicem in precio circumvenire, ſecluſo in integrum reſtitutionis remedio ex causâ enormis læſionis. *argum. l.* 2. *Cod. de reſcind. vendit. ibique DD. Maſuer. in prax. judic. tit. de empt. vendit.* Quod etiam in universâ Galliâ receptum eſſe tradidit *Choppin. libr.* 1. *tit.* 1. *de Moribus Pariſ. num.* 2.

ibique

ibique alleg. Cujus ſententiæ contrarium nihilominus tenuit *Imbertus* 1. *Inſtit. forenſ.* 34. *Argentr. ad Britann. artic.* 282. *verb. pour deception.*

Quorum opinionem facile admiſeris in mobilibus inſignibus & pretioſis, quæ rebus ſoli comparantur. *Papo* 17. *arreſtor. tit.* 3. *cap.* 7. *Rebuff. tract. de reſciſſ. contract. gloſſ.* 15. *num.* 34. 36. *Ferron. ad Burdegalenſ. in* §. 20. *de feud. Perez. Cod. de reſcind. vendit. n.* 14. Sicuti minoribus annis 25. in omnem eventum in rerum mobilium emptione & venditione ſuccurritur, ſi quando in pretio fuerunt circumventi. *Molin. ad art.* 86. *Borbon. Conſuetud. Choppin. de Moribus Pariſ. libr.* 1. *tit.* 1. *n.* 2. *& tit.* 2.

7. Quod attinet rei judicatæ executionem, alius ordo mobilium, alius immobilium ſervatur; & aliter illa, aliter hæc capiuntur; illa proprie loquendo capiuntur, hæc ſubhaſtantur. Et quidem primo moventia capi lex jubet, moxque diſtrahi. Quorum pretium ſi non ſuffecerit, vel certum ſit ab initio illud non eſſe ſuffecturum, ad ſoli pignora, id eſt immobilia pervenitur. *l. à divo Pio.* 15. *D. de re judic.* Illa puta mobilia non proſcribuntur, ut tamen ſub auctione publicâ divendantur. Immobilia in celeberrimis civitatis locis proſcribuntur

tur, ut cuivis ad eorum emptionem accedere liceat, ſeque interponere, vel opponere, ſi quid juris ſuper illis ſe habere exiſtimaverit. *l.* 4. *Cod. de diſtract. pignor. Perez. Cod. eod. num.* 7.

In causâ itidem *novell.* 4. mobilia primum dantur in ſolutum, quæ ſi nulla reperiantur tunc ad immobilia recurritur; quorum emptor ſi non exiſtat, ex iis quæ optima creditori dantur in ſolutum, præviâ judicis æſtimatione. Ut tamen debitori ſuperſit actio de ſuperfluo, creditori de reſiduo, ſi minoris prædia fuerint æſtimata, quam eſt debitum. *d. nov.* 4. *Rittershuſ. ad novell. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. *& ſeqq.* quale jus moribus exoleviſſe poſt varios ſcribit *Groenw. de ll. abrogat. ad Auth. hoc niſi Cod. de ſolution.*

8. In caſu denique quo pater bona filii obærati tanquam eorum adminiſtrator, vel tutor vendere cogitur, prius mobilia, & dein ſi ea non ſuffecerint immobilia divendet, per *l.* 8. §. 4. *verb. ſin autem. Cod. de bon. quæ liber.*

9. Quæ circa bonorum capionem & diſtractionem jure Romano obtinent, moribus Gallorum, Brabanticorum, etiam noſtrarum Provinciarum paulo aliter ſervantur. Nam ex quibus rebus ſibi citius confici

pecu-

pecuniam putat creditor, eas judicis auctoritate per apparitorem capit, ut diſtrahantur. Quinimo & nomina capi & ſequeſtrari curat, id eſt ſui debitoris debitum, apud eum qui eſt debitoris debitor. Eoque vocato & confitente ſe eſſe debitorem pecuniam conſignari petit, ſibique præſtitâ cautione vel ſatiſdatione, in ſolutum dari. *Inſtruct. Curiæ Provinc. Ultraject. tit. de execut. ſent. art.* 2. *rubric.* 14. *Statuti Ultrajectini. Inſtruct. Cur. Holland. artic.* 172. *Tranſiſul. part.* 1. *tit.* 21. *art.* 3. 5. *Ruremund. part.* 5. *tit.* 17. *Guid. Papæ quæſt.* 481. *Rebuff. tract. de litt. obligat. artic.* 11. *gloſſ.* 4. *Gudelin. de jure noviſſ.* 4. *cap.* 16. *Chriſtin. ad Mechlinienſ. tit.* 1. *art.* 33. *num.* 6. *vid. Burgund. ad Flandr. conſuet. tract.* 3. *num.* 3. *Anton. Matth. diſp. fin. ſeu auctar. de judic. num.* 84.

10. Hæc quidem quæ dicta in pignore judiciali obſervabantur, quod ſi in genere tam prætorium quam judiciale pignus ſpectemus, executio vel miſſio in immobilia fieri ſolet apud eum judicem, ubi ea ſita, cujus cura ad jubendum pertinet; ut decretum extra territorium non extendatur, ne juriſdictiones confundantur: *l. cum unus.* 12. §. 1. *D. de rebus auct. judic. poſſid. l.* 5. §. 27. *D. ut in poſſeſſ. legator. Gothefred. in not. ad d. l.* 12. *Anton. Matth. ibique DD. diſp.* 4. *de judic. num.* 13. 14. 20.

Mobilium vero conſignationem fieri volunt apud eum judicem apud quem facienda erat ſolutio, forte & diſtractio bonorum mobilium, id quod innuere videtur. *l.* 1. 2. *D. de rebus auctor. judic. poſſidend.* vid. *Bartol. ad l. acceptam.* 13. *Cod. de uſur. Boër. deciſ.* 11. *num.* 4. *& deciſ.* 114. *num.* 9. *Cancer.* 2. *reſol.* 4. *num.* 37. de quo tamen caſu ſi mores ſpectemus, amplius deliberandum eſſe judicarem. Vid. *ad hæc omnia l. fin. verb. nihil enim prohibet. Cod. de præſcript. longi tempor. & de moribus. Imbert.* 1. *Inſtit. Forenſ.* 22. *Sand. de feud. Gelriæ tract.* 3. *cap.* 1. §. 3. *Burgund. ad conſuet. Flandr. tract.* 3. *num.* 8. *& ſeqq. Chriſtin. ad Mechlin. tit.* 6. *art.* 3. *Gudelin.* 3. *de jure noviſſ. cap.* 2.

" 11. Præcedentium occaſione inquiri non
" inutiliter poterit, quæ ratio ſit ſervanda
" reſpectu ſolutionis æris alieni dum alius eſt
" mobilium, alius immobilium hæres? Sunt
" qui exiſtimant eos omnes quantum ad jus
" hæreditarium attinet, æquâ lance hæredes
" eſſe, adeoque eos æqualiter debita hæredi-
" taria perſolvere debere, & non pro portio-
" nibus hæreditariis. Quoniam, inquiunt,
" quod plus unus obtinet, quam alius, jure
" prælegati videtur habere. *l. ex facto. D. de*
" *hæred. inſtit. Paulus Caſtrenſ. in* §. *poteſt. l. hinc*
" *quæritur. D. de pecul.* Alii quando alius eſt

mobi-

mobilium ſcriptus hæres, alius immobilium, cenſent illum ad æris alieni ſolutionem obſtringi, quod mobilibus adnumeratur, hunc vero ad ſolutionem ejus teneri, quod immobilium venit nomine. *Arg. l. hinc quæritur. §. poteſt. D. de peculio. l. ſi certarum.* 17. §. 1. *D. de militari teſtam. l. cum militi.* 16. *D. de compenſat. Coſtal. in l.* 3. *D. famil. erciſcund.* Quod etſi forte de jure Romano poſſet obtinere, ſecundum æquitatem tamen & mores exiſtimant æs alienum inter ſucceſſores mobilium & immobilium, pro modo emolumenti dividendum eſſe. *Arg. l. Celſus. D. de religioſ. & ſumpt. funer. l. ſi vir uxori. D. ad l. Falcid. Alexand. vol.* 1. *conſil.* 31. *& vol.* 4. *conſ.* 111. *num.* 12. *Tiraquell. de jure primog. quæſt.* 35. *num.* 28. *Johann. de Rojas Epitom. ſucceſſ. cap.* 25. *Argentr. ad Britann. artic.* 219. *gloſſ.* 7. 8. *Mornac. in l.* 50. *§. tractatum. D. de judic. Burgund. ad conſuet. Fland. tract.* 13. *num.* 39. *Moller.* 4. *ſemeſtr.* 44. *Lambert. Goris adverſ. tract.* 2. *cap.* 5.

Quorundam tamen conſuetudine hæres mobilium æri alieno hæreditario obligatur; idque ne fundi lareſque aviti extra familiam præcipiti licitatione traducantur. Quod apud Andegavenſes, Lovanienſes, alioſque poſt *Everhard. conſil.* 50. obtinere

ſcribit *Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 9. Idem aliter de aliorum moribus judicat inſequenti *num.* 10. Quo transferri poterunt quæ ſcribit *Lambert. Goris* 4. *adverſ.* 4. *Sand. de feudis Gelriæ part.* 2. *cap.* 5. §. 3. *p. mihi.* 341. *& cap.* 4. §. 1.

Cap. XXI.

1. *Facile mobilia amittuntur, immobilia non item.*
2. *Mores Saxonum referuntur.*
3. *Immobilia ut plurimum magis pretioſa, & in quæ cadit affectus major, quam in mobilia.*
4. *Poſſeſſio immobilium aliter atque mobilium amittitur.*
5. *Oblatio verbalis mobilium nullum parit effectum, ſecus quam obtinet ſi immobilia ſint oblata.*
6. *In mobilibus ceſſat interdictum* de vi & de vi armatâ, *quod tantum in immobilibus locum habet.*
7. *In immobilibus locum habet interdictum*, uti poſſidetis, *in mobilibus*, utrubi.
8. *Aliter mobilium aliter immobilium*

lium poſſeſſores cavent.

9. *Aliter jure Romano cavet, qui immobilia capit, quam qui mobilia in caſu certo.*

10. *Aliter cavet in lucris nuptialibus, ſi conſiſtant in mobilibus, aliter ſi in immobilibus.*

1. SUperſunt alia multa quæ mobilibus vel immobilibus cum quâdam diverſitate accidunt; quod aliter mobilia, aliter immobilia amittuntur. Quia enim ut plurimum mobilium vilis & abjecta eſt poſſeſſio. *l. ſi rem mobilem.* 47. *D. de adquir. poſſeſſ.* ideo mobilia brevi temporis curriculo, id eſt triennio amittuntur, & uſucapiuntur. Immobilibus vero nonniſi decennio inter præſentes, vicennio inter abſentes præſcribi ſolet. *l. fin. in fin. Cod. præſcript. de long. tempor. l. unic. Cod. de uſucap. transform. vid. Peregrin.* 6. *de jure fiſci tit.* 8. *num.* 44. *ibique DD.*

A quo tamen jure generalis receſſit conſuetudo, quo non minore ſpatio (Zelandis exceptis) quam annorum triginta, vel ut alii malint ſpatio tertiæ partis ſeculi, id eſt annorum triginta trium, quatuor menſium, & trium dierum, tam res immobiles quam

mobiles uſucapiuntur. *Privileg. Magnum Mariæ Burgund. Merul. praxis civilis lib.* 4. *cap.* 7. *tit.* 93. *Statutum Ultraj. rubric.* 23. *artic.* 20. *& rubric.* 27. *artic.* 27. *Grot.* 2. *introd. jur. Holl. cap.* 7. *num.* 35. *Goris adverſ. ad conſuet. Gelriæ tract.* 3. *cap.* 9. *Radelant. deciſ. Cur. Ultraject.* 47.

Quæ tamen præſcriptiones non ad omnes actiones, quæ propriè loquendo nec mobiles nec immobiles, ſunt extendendæ. *Perez. in Cod. de præſcript.* 30. *annor. num. fin. Groenw. tit. Cod. eod. & ad tit. inſtit. de uſucap.*

Multo minus locum ſunt habituræ in ſalariis advocatorum, procuratorum, famulorum, rerumque minutatim venditarum, quibus ſecundum Conſtitutionem Carolinam de ann. 1540. Octobr. 4. & 1549. April. 14. biennio præſcribitur. Ordinat. deciſ. Ordinum Provinciæ Ultraj. ann. 1659. April. 14. Quam tamen ordinationem quoad artic. 21. qui illud jus continet, in obſervantiâ eſſe noluerunt, ſaltem in ſuſpenſo habuerunt, præfati legiſlatores, donec iiſdem aliter deſederit. vid. *Rebuff. ad conſtit. Regias tract. de Mercat. minutatim vendit. gloſſ.* 16. *& ſeqq.* unde plura cumulari poterunt. *Boër. ad Bituric. tit.* 3. §. 7. *Chaſſan. ad Burgund. rubric.* 13. §. 8. *Chriſtin. ad Mechlin. tit.* 20. *art.* 1.

2. De jure Saxonum paulo aliter procedunt uſucapiones. Nam immobilia, quo etiam referunt ſervitutes, bona mobilia hæreditaria, quia hæreditati cohærent, adeoque ab immobilibus attrahuntur, ſpatio annorum triginta & unius, ſex ſeptimanarum & trium dierum amittuntur. *Arg. l.* 4. *Cod. in quibus cauſ. ceſſat long. tempor. præſcript. Caſtrenſ. in d. l.* 4. *Matth. Weſemb. conſil.* 101. *num.* 21. *& conſil.* 329. *num.* 85. *& conſil.* 349. *num.* 9. *Hering. quæſt.* 8. *de molendin. num.* 72. In mobilibus vero, quo referunt Geradam, ſeu utenſilia, Expeditoria, ſeu Hehr Gewette, victualia, Mustheil, appellata, anni ſex hebdomadarum & trium dierum ſpatio uſucapiuntur. *Reinhard. part.* 6. *differ.* 3. *Schurff. conſil.* 69. *num.* 7. *Johann. Coppen. obſerv. Practicab. obſerv.* 87. *circa fin.*

3. Immobilia inſuper ut plurimum ſunt pretioſa, majoriſque æſtimii quam mobilia, & major in illa quam in hæc ipſa cadit affectus. *l.* 3. *D. de in litem jurand. Hering. de molend. quæſt.* 8. *num.* 59. Et licet omnia ſint fragilia, caduca, variiſque caſibus & mutationibus obnoxia. *l. verum* 11. §. 5. *D. de Minor. l.* 4. *D. ut in poſſeſſ. legat. l. ſi is qui.* §. 1. *D. de adquir. domin.* Vilior tamen mobilium quam immobilium eſt poſ-

 ſeſſio.

ſeſſio. *l.* 47. *D. de adquir. poſſeſſ.* ut ea propter facilius pereant, facilius amittantur. Niſi tamen ſint in hæreditate mobilia, quæ ab immobilibus tanquam dignioribus attrahuntur, & ejuſdem cum illis juris eſſe cenſentur. *l. ſi rem mobilem. Ibique gloſſ. D. de adquir. poſſeſſ. l. eum qui. D. de uſucap. l. longæ. D. de diverſ. & tempor. præſcript. Tiraquell.* §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 81. *Weſemb. conſil.* 140. *num.* 23. 24.

4. Mobilium inſuper aliter atque immobilium poſſeſſio amittitur, id eſt uti dixi, amittitur facilius. Nam quæ immobilia, nos poſſidere deſinimus per externam occupationem, à flumine, aut à mari. *l.* 3. §. 17. *l.* 30. §. 3. *D. de adquir. poſſeſſ.* vel per hominem, ſi quis nos vi dejecerit. *l. naturaliter.* 5. *D. de uſucap. l.* 1. §. 1. 2. *D. de vi & de vi armat.* vel ſi dominus abſens reverſus à violento poſſeſſore repellatur. *l.* 6. *in fin. D. de adquir. poſſeſſ. l.* 1. §. 24. *de vi armat.* vel metu territus, ad poſſeſſionem accedere nolit. *l.* 3. §. 8. *l.* 7. *l.* 25. §. *fin. D. de adquir. poſſeſſ.* vel ſi rei detentio in alium juſtè ſit tranſlata per loci judicem. *l.* 30. §. 2. *D. eod. Oſwald. Hilliger. ad Donell.* 5. *comm.* 3. & 12.

Verum quæ mobilia, eorum poſſeſſionem amittimus facilius, & aliter atque quidem

dem poſſeſſionem immobilium. Illam enim alienâ occupatione etiam ignorantes amittimus; puta rapinâ. *l. rem quæ.* 15. *D. de adquir. poſſeſſ.* furto. *d. l.* 15. rei commodatæ vel dèpoſitæ de loco remotione, affectu vel animo furandi factâ. *l.* 3. §. 18. *l.* 47. *D. eod.*

Ut tamen ſervanda ſit differentia inter ea corpora, quæ ràtione vel animâ carent, quorum confeſtim amittitur poſſeſſio, & ea corpora, quæ ſenſu rationis ſunt prædita. Nam ſi pecus aberraverit, vel vas ita exciderit, ut non reperiatur, protinus à nobis poſſideri deſiit, licet à nullo etiamnum poſſideatur. *l.* 3. §. *Nerva.* 13. *D. de adquir. poſſeſſ.* Quod ſi aberraverit homo noſter, puta ſervus receſſerit, quamdiu revertendi habet animum, qui præſumitur, quod fugiſſe putetur, quo ſe iræ domini ſubducat ad tempus, ejus poſſeſſionem retinemus. *l.* 47. *D. de adquir. domin.* Niſi tamen ab alio fuerit poſſeſſus, quo caſu amiſſa cenſebitur poſſeſſio. *l.* 1. §. 14. *l.* 47. *D. de adquir. poſſeſſ.*

Ratio cur facilius mobilium quam immobilium amittatur poſſeſſio, à nonnullis hæc allegatur, quod vilior ſit mobilium quam immobilium poſſeſſio. *gloſſ. in l. ſi rem mobilem. D. de adquir. poſſeſſ. Tiraquell. de retract.*

retract. §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 81. *Bartol. Jaſon. aliique DD. in l. ſciendum. D. qui ſatiſdare. Matth. Weſemb. conſil.* 329. *num.* 18. & ut loquitur Nizolius pos alios, *allegat.* 19. *num.* 51. quod mobilia non ponantur in aliquo æſtimo.

Probabilior tamen mihi viſa fuit ea ratio quâ uſus eſt Papinianus in *l.* 47. *D. de adquir. vel amitt. poſſeſſ. Quod rerum mobilium neglecta atque omiſſa ſit cuſtodia.* Non quod ſemper rerum mobilium vilis, atque abjecta ſit poſſeſſio, cum etiam res mobiles poſſint eſſe pretioſiſſimæ in gemmis & numiſmatibus conſiſtentes. *l.* 28. *D. de uſufr. l.* 19. *in fin.* *l.* 20. *D. de aur. & argent. legat.* & è contrario rerum immobilium vilis poſſit eſſe poſſeſſio, vile pretium; ut ſi fundus fuerit ſterilis & ſaxoſus. *l. ſi fundus.* 13. *D. de rebus eorum qui ſub tutel.* Verum quod facilius mobilium amittatur poſſeſſio, in quantum non ita commodè cuſtodiri poterunt, atque quidem res immobiles. Naturalis quippe tenendi & conſervandi facultas magis in illis quam in hiſce amittitur. Quia facile de loco in locum transferuntur, & ſi fuerint res animales aberrant facilè. *d. l.* 3. §. 13. *l.* 13. *l.* 25. *in princ. D. de adquir. poſſeſſ. Matth. Weſemb. conſil.* 342. *num.* 144.

5. Et quoniam eâdem facilitate quâ offeruntur

runtur alicui mobilia auferri poſſunt, ea propter verbalis oblatio rei mobilis nullum in jure parit effectum, quia nudum dicit propoſitum, ut inſuper requiratur conſignatio & depoſitio. *l. 1. in fin. D. de uſur. & fructibus.* Verum ſi res fuerit immobilis, verbalis oblatio non omni juris effectu deſtituitur, ſaltem in morâ ponere videtur adverſarium, cui res ita offertur. Cum enim res talis immobilis offerri nequeat, quia nec portari, vel loco moveri, propterea dictâ oblatione lex eouſque contenta eſt, ne quis ad id quod impoſſibile eſt obligetur. vid. *Jaſon. in l. ſi ita quis.* 135. §. *Seja. num.* 18. *D. de verb. obligat. Zoeſ. D. de ſolut. num.* 36.

Et quia loco facile moventur res mobiles, ideo etiam haud difficulter ſequeſtrari poterunt; quinimo facilius, (exceptâ numeratâ pecuniâ de jure Romano) quam res immobiles ſequeſtrari debebunt, quod major ſit perditionis vel corruptionis metus. *l. 7. in fin. D. qui ſatiſdare cogant.* majuſque ſit periculum, quando eas non frugi paterfamilias tenet. Cui, licet cautionem offerre ſit paratus, non videtur rei mobilis pretioſæ, vel animalis, vel ſenſu rationis præditæ, committenda eſſe cuſtodia. Maxime cum ſatiſdatio propoſitum malevolum non mutet, ſed diutius graſſandi in talibus rebus

bus facultatem præbeat. §. *fin. inſtit. de ſuſpect. tutor.* Verum in rebus immobilibus ceſſant rationes prænominatæ, ceſſat omnis fugæ ſuſpicio & ablationis, ut propterea difficilius ad ſequeſtrationem ſit perveniendum. *Azo num.* 3. *&* *DD. ad tit. Cod. de prohibit. pecun. ſequeſtr. Johann. Andreas in c. locupletari. num.* 6. 7. *de regul. jur. in* 6. *Matth. Weſemb. conſil.* 336. *num.* 122.

6. Sunt alia inſuper quæ rebus mobilibus, alia quæ immobilibus accidunt. Nam in rebus mobilibus, quæ furti vel rapinæ vitio ſubjacere poterunt, ceſſat interdictum de vi & de vi armatâ. §. 3. 8. *inſtit. de obligat. quæ ex delict.* §. 1. *in fin. inſtit. de vi bonor. raptor. l.* 1. §. *illud utique.* 6. *D. de vi & de vi armat.* Verum ſuper rebus immobilibus datur interdictum *de vi & de vi armata. Azo in ſum. Cod. de vi & de vi armat. num.* 7. *ibique not. Menochi in* 1. *remed. recuper. poſſeſſ. num.* 39. *& ſeqq. & in* 9. *remed. recuper. poſſeſſ. num.* 265. *Choppin. de Moribus Pariſ. libr.* 1. *tit.* 1. *num.* 4. *ibique Pragmatici.*

7. Ita etiam interdictum, *uti poſſidetis*, in poſſeſſione rerum immobilium, veluti fundi, ædium, aliarumque rerum quæ immobilibus comparantur, locum habet *l. fin. D. uti poſſid. l.* 1. *Cod. eod.* Verum è contrario interdictum *utrubi*, nonniſi ſuper

rerum

rerum mobilium poſſeſſione intentatur. §. 4. *in med. inſtit. de interd. tit. D. utrubi.*

Forte quia difficilius inquiritur ubi ſit vel reperiatur res mobilis; quod vel in hujus vel illius arcâ includi poſſit, vel in alicujus domo occultari, ideoque appellatum *utrubi*, ſupple *lateat. d. l. unic.* §. 1. *D. utrubi.*

Ut propterea quandoque ratione rei mobilis deperditæ, vel amiſſæ, vel furto ablatæ neceſſum ſit dominum introire alicujus ædes, vel in alienis prædiis rem ſuam requirere, petito prius ad hoc ipſum à præſide apparitore, ut ei permittatur ingredi & inquirere. *l.* 3. *D. de fugitiv. Menoch. remed.* 3. *retinend. poſſeſſ. num.* 1. 2. *& ſeqq.* Ut lex verborum proprietatem reſpexiſſe videatur, dum mobilia ab immobilibus per diverſa interdicta ſeparavit. Nam immobilia propriè poſſidentur, mobilia apud vel penes nos eſſe dicuntur, ut inquirendum ſit, ubi vel *utrubi* ſint. vid. *Azon. in ſumm. Cod. uti poſſid. num.* 4. *diſſentit Menoch. loc. alleg.*

8. Circa cautionum materiam etiam variæ mobilium & immobilium obſervantur differentiæ. Mobilium enim poſſeſſores omnino ſatiſdare tenentur, verum poſſeſſores immobilium, & eorum quæ immobilibus comparantur ad hunc juris effectum, ab onere ſatiſdationis liberantur. Quod licet

cet procedat in cautionibus quæ judicii cauſâ, vel propter judicium interponuntur, *l. ſciendum. pen. D. qui ſatiſdare cogant.* non tamen in omnibus, ubi leges deſiderant ſatiſdationem. *l.* 1. §. 1. *D. ut legat. vel fideic. ſervand. cauſ. caveat.* Et quanquam non ſatiſdent immobilium poſſeſſores, juratoriam tamen cautionem interponere tenentur, ut repromiſſione vel nudâ cautione non liberentur. Neque enim ſequitur, non tenentur ſatiſdare, ergo non tenebuntur jurato cavere. Aliter nec juratoriæ cautioni committerentur viri illuſtres, memoriales, & fidejuſſores non invenientes, qui tamen ſatiſdare non compelluntur. *l. pen. Cod. de dignit. l. in ſacris.* 12. *Cod. de proxim. ſacror. Scrinior. nov.* 112. *cap.* 2. Quid quod lex Cod. adjutoriam cautionem, vel ut alii rectius legunt, cautionem juratoriam, ab immobilium poſſeſſoribus exigat, ut ſolâ repromiſſione non liberentur. *l. multis.* 8. *Cod. de princip. agent. in rebus. vid. Bartol. Bald. Jaſon. in l. pen. D. qui ſatiſdare. Tiraquell. de retract. conſang.* §. 1. *gloſſ.* 6. *Cujac. ad novell.* 53. *Wameſ.* 3. *conſil.* 99. *num.* 2. *Pacium diſp. inſtit.* 22. *num.* 7. & 8.

De jure Saxoniæ hæc ita procedunt, ut qui poſſidet immobilia, licet extra territorium judicis ubi cauſa tractatur, cujus reſpectu

ſpectu cautio exigitur, non tamen ſatiſdare cogatur, ſaltem non in loco judicii. *Moller.* 1. *Semeſtr.* 2. *Heringius de Molend. quæſt.* 8. *num.* 64. Itaque quondam intelleximus in Vianenſi Camerâ, in causâ D. de Anckeveen, provocantis à Scabinorum Vianenſium ſententiâ ad ſupremum dicaſterium, contra cæteros creditores. Vid. tamen regulam juris civilis ante traditam, cum ſuis limitationibus apud *Petrum Duenas fallent. juris litt. B. regul.* 74.

Quin amplius ſecundum Germaniæ morem & conſuetudinem ne quidem ab immobilium poſſeſſoribus juratoriam exigunt cautionem. *Matth. Weſembecius in ſuâ juris œconomiâ ad nov.* 53. *in med.* Exigunt tamen DD. pragmatici cautionem fidejuſſoriam ab immobilium poſſeſſoribus, ſi alicujus criminis ſint incuſati. *Hippol. in l. majoribus. in fin. D. de quæſtion. Tiraquell. de retract. gentil.* §. 1. *gloſſ.* 3. *num.* 17. *Matth. Weſembec. conſil.* 335. *num.* 237. poſt *Lantrecht.* 1. *artic.* 3. & 14. *ubi gloſſ. num.* 4.

Secundum mores Belgii, ſaltem noſtrarum Provinciarum, inſuper habitâ mobilium & immobilium differentia omnes ſatiſdare coguntur, ſiquidem fidejuſſores invenire potuerint, aliter ad juratoriam cautionem admittuntur. *Peckius de jure ſiſtend.*

cap.

cap. 45. num. 11. Damhaud. in prax. civil. cap. 65. num. 5. ibique Tulden. in comment. Chriſtin. ad Mechlin. tit. 3. artic. 7. num. 8. vid. *Groenw. ad tit. inſtit. de ſatiſdat.*

9. Aliter itidem jure Romano cavet qui immobilia, quam qui mobilia capit, in caſu quo quid mulieri relictum eſt ſub conditione viduitatis. Nam quod relictum eſt legatum poſt annum capit, & ſi fuerit res immobilis juratoriam præſtat cautionem cum hypothecâ; ſi fuerit res mobilis, non ſemper, cum quandoque fidejuſſoria cautio exigatur. *Auth. cui relictum. Cod. de indict. viduitate. novell.* 22. *cap.* 43. Ut tamen id ipſum deſuetudine inumbratum eſſe ſcribat *Groenw. de ll. abrogat. ad d. Auth.*

10. Denique ſecundum leges civiles in pœnis mulieris ad ſecunda vota tranſeuntis etiam aliqua obſervari poterit differentia. Nam quando lucra nuptialia in rebus conſiſtunt immobilibus, mater quæ earum eſt uſufructuaria, cautionem fructuariam non præſtat. Quod ſi in rebus conſiſtant mobilibus, mater, non itidem pater, ſatiſdare tenetur. *l. hâc edictali.* 6. §. *his illud. verb. mobilium & ſeqq. Cod. de ſecund. nupt. l.* 6. §. *ubi &* §. *proculdubio. Cod. de bon. quæ liber. novell.* 2. *cap.* 4. *novell.* 22. *cap.* 45. Neque enim res immobiles facile interverti, vel con-

conſumi poterunt, ſecus quam obtinet in mobilibus, quæ nullo negotio conſumuntur, & in alterius poteſtatem transferuntur. *Rittershuſ. ad novell. part.* 4. *cap.* 4. *num.* 14. *& ſeqq.*

Cap. XXII.

1. *Feudum in rebus immobilibus conſtituitur, quibuſdam caſibus exceptis.*
2. *Etiam emphyteuſis, cui libellarius contractus in multis comparatur.*
3. *Etiam jus ſuperficiarium.*
4. *Servitutes ſolummodo rebus immobilibus inhærent.*

1. PRræter relatas hactenus differentias, ſuperſunt aliæ, reſpicientes qualitates ſeu jura, quæ in ſe recipiunt quæque ſuſtinent res ſoli, ſeu quæ immobiles, ut in rebus mobilibus non radicentur. Qualia ſunt jura feudalia, emphyteutica, ſuperficiaria & ſervitutum. Jus enim feudale in re immobili, vel ſolo cohærenti conſiſtit, vel in iis omnibus, quæ immobilibus adnumerantur. Ut propterea ſolummodo res immobiles dentur in feudum, ad rerum mobilium

bilium excluſionem. *libr.* 2. *feudor. in princ. & c. unic. §. fin. in quibus cauſ. feud. amittatur. Cujac. ad libr.* 2. *feud. tit.* 1. 2. *Argentr. ad Britann. tit.* 16. *artic.* 336. *Choppin. libr.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 6. *Hottom. diſp. feudal. cap.* 16. *Matth. Weſemb. conſil.* 271. *num.* 12. *Heringius de Molendin. quæſt.* 8. *num.* 55. *Sand. de feud. Gelriæ* 1. *cap.* 1. *num.* 5. *Neoſtad. cap. fin. de ſucceſſ. feud. num.* 27.

Ratio cur res immobiles, non item mobiles in feudum fuerint conceſſæ hæc videtur dari poſſe. Quia feuda in perpetuum conceduntur, ut non tantum ad vaſallum, verum etiam ejus ſpectent ſucceſſores; & ita conceduntur, ut fructus proferre valeant, utque perpetuum iis præſtent uſum, quibus viciſſim in perpetuum, vel quandocunque uſus & neceſſitas poſtulaverit, ſervitium præſtandum Seniori. Accedit & altera, quod rei in feudum datæ proprietas, ſaltem dominium directum penes Seniorem remanere debeat, jus vero emphyteuſi vel potius uſufructui ſimile in accipientem vaſallum tranſeat. Quæ cum in rebus mobilibus non admittantur, etiam in iis vel ſuper iis feudum conſtitui non poterat.

Quin tamen res mobiles in quibuſdam caſibus bonorum feudalium appellatione comprehendantur, negari non debebit. Quan-

Quandoque enim in conſequentiam immobilium, quibus adhærent, vel cum quibus tranſeunt, venire dicuntur. *DD. argum. l. ſi quando. Cod. unde vi. l. ſi quando. Cod. de bonis vacantibus. l.* 1. §. 6. *in fin. D. de vi & de vi armat. l. in modicis.* 24. *D. de contr. empt. Borcholten de feud. cap.* 6. *num.* 9. *Vultejus de feud.* 1. *cap.* 5. *num.* 10. Sicuti alii cenſent pecuniam in feudum dari poſſe, modo in vicem feudi evicti concedatur, quaſi ſurrogatum ſapiat naturam ejus in cujus locum ſurrogatur. *Rittershuſ. de feud. libr.* 1. *cap.* 7. *quaſt.* 4. licet in contrariam ſententiam magis inclinet *Schrader. tractat. feudal. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 8.

2. Jus emphyteuticum inſuper in re ſoli ſeu immobili, non itidem in re mobili conſtitui ſolet; quinimo non videtur in re mobili conſtitui poſſe. *tit. D. ſi ager vectigalis, id eſt emphyt. l. jubemus. §. fin. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. tit. Cod. de fundis patrimonial. Jaſon in l.* 1. *num.* 101. *Cod. de jure emphyteut. Borcholten de feudis cap.* 3. *num.* 4. *in fin.* Cumque res immobilis non agrum tantum, verum etiam ædificium comprehendat, in utroque jus prænominatum conſtitui poſſe ſtatuendum erit. *l. lex vectigali.* 31. *D. de pignor. l.* 15. §. 6. *D. de damn. infecto.* ubi ædes vectigales non abuſivè tales appellantur,

tur, quaſi eſſent ſuperficiariæ, vel quia in prædio vectigali extructæ; verum quia non aliter atque fundi ſub lege ſolutionis annui canonis meliorandæ dari poſſunt, licet in iis non admittatur inſitio, vel implantatio; quæ inſpectâ origine, in agris emphyteuticis obtinuit. *Valaſ. de emphyteut. quæſt.* 12.

Ratio cur in re immobili tantum jus emphyteuticum conſtituatur, non hæc eſſe videtur; quod in re mobili directum ab utili dominio ſeparari nequeat, vel res mobilis perpetuum uſum præbere. Cum huic malo per cautionem, ſicuti in quaſi uſufructu optimè conſuleretur. Etiam non fuerit neceſſum ut in emphyteuſi res perpetuum præſtet uſum, quod ſufficiat rem in tempus non modicum, vel longum in emphyteuſin dari. Ut hæc potius ſit genuina ratio, quod res mobiles non admittant implantationem, inſitionem, culturam vel ſimilem aliquam meliorationem.

Et quoniam magnam cum emphyteuſi convenientiam habet libellaria vel contractus libellarius, eum DD. in rebus immobilibus, excluſis mobilibus admittunt, *Clarus. §. emphyteuſis. quæſt.* 1. *Borcholten de feudis cap.* 3. *num.* 45. Ut tamen multiplici jure ab emphyteuſi ſeparetur, de quo prolixè poſt *Cujacium* 1. *feudor. tit.* 2. *Gothefred.*

in

in notis ad l. 24. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.*

3. De jure ſuperficiario nemo dubitaverit, quod ſuperficies in re ſoli, adeoque immobili conſideretur; propterea jus ſuperficiarium appellatum, quia in ſuperficie fundi aliquid eſt conſtitutum vel ædificatum, quod domino ſoli cedit. *l. fin. D. de ſuperficiebus.* Non igitur in re mobili, quæ non recipit vel admittit inædificationem, inſitionem vel implantationem. *d. l. fin. D. eod. l.* 98. §. 8. *D. de ſolut. l.* 29. §. 2. *D. de pignor. l.* 18. §. 4. *l.* 39. §. 2. *D. de damn. infect. Sebaſt. Gams de jure ſuperficiario. circ. fin. & paſſim.*

4. Denique nonniſi res immobiles excluſis mobilibus reales ſervitutes recipiunt, ſuntque harum materia. Cum enim omnes ſervitutes reales, vel ſolo inhæreant, vel in ſuperficie conſiſtant, quarum illæ ruſticæ, hæ urbanæ, nec ſolum, nec ſuperficies ſit rei mobilis, conſequitur ſervitutibus non niſi res immobiles ſubjici. Quæ propterea in concreto definiuntur, quod ſint prædia qualiter ſeſe habentia. *l.* 3. *D. de ſervit. l.* 1. *D. comm. prædior. l. quid aliud* 86. *D. de verbor. ſignificat.* Unde ſi causâ prædii, id eſt ad uſum prædii ſervitus quæpiam in re mobili fuerit conſtituta, non tamen realis ſervitus cenſeri debebit. Et ſi jumen-

torum uſus alicui ſit legatus, ut in ſuo fundo tantum opus ruſticum faceret, adeoque causâ prædii dicatur conſtitutus, perſonæ ſervitus eſſe dicetur. *l.* 4. 5. *D. de ſervit. ruſtic.* Nam ſicuti realis ſervitus perpetuam habet cauſam, *l. foramen.* 28. *D. de ſervit. præd. urban.* ita etiam perpetuum præſtat uſum; ſaltem hunc in finem conſtituta eſt, ut perpetuo præſtare poſſit. Quem cum res mobilis non præſtet, non videbatur in eâ ſervitus realis conſtitui poſſe. Quamobrem etiam navi, quæ res eſt in ſe mobilis nulla ſervitus imponi poteſt. *l.* 1. §. 7. *D. de vi & de vi armat. Donell.* 11. *comment.* 1. *Hilliger. ad Donell. ibidem. litt. A. poſt Padillam ad l.* 1. *Cod. de Servitut. num.* 12.

CAP. XXIII.

1. *Mobilia ſequuntur legem loci, ubi dominus habet domicilium.*
2. *Quæ conſuetudo ſervanda circa mobilium confiſcationem?*
3. *Immobilia reguntur lege loci, ubi ſunt ſita.*
4. *Quæ conſuetudo circa feuda ſpectanda?*
5. *Aliter mobilia, aliter immobilia* in

in loco eſſe judicantur.

6. *Ratio differentiæ redditur.*
7. *Immobilium locus indicatur.*
8. *Immobilia alibi ſita non applicantur fiſco, ubi quis eſt condemnatus.*
9. *Quoad ſucceſſionem ſequimur locum ſitus immobilium.*
10. *Jure Romano hæc paulo aliter obſervantur.*
11. *Moribus à regulâ antea datâ feudum excipi debebit.*
12. *Mobilia ubi ſita, declaratur.*
13. *Habent ea quandoque duplicem locum.*
14. *Quis ſpectandus ſit locus bonorum mobilium ratione ſucceſſionis, collectarum, confiſcationis, lucri dotalis.*
15. *Quandoque mobilia ſequuntur locum rei immobilis.*
16. *Nomina & actiones locum habent, prout mobilium vel immobilium lege comprehenduntur.*
17. *Quis locus in exigendis nominibus ſpectandus?*

1. SUpereſt poſtrema differentia mobilium & immobilium, à qualitate, vel potius circumſtantiis quibuſdam deſumpta. Licet enim poſſeſſor bonorum teneatur ubiquè ſe defendere ubi bona ſunt, ſive fuerint mobilia, ſive immobilia. *l. fin. Cod. ubi in rem actio.* Quod ita accipiunt DD. ſi mobilia ibi ſint, ut maneant, non ut inde alio deferantur. Ut ſi poſſeſſor ea ſecum ferat, & per certum locum tranſeat, non ibi manſurus, eorum nomine non videatur ſortiri forum. *arg. l. ſi debitor. D. de pignor.* quod non cenſeantur eo loci eſſe, vel reperiri, idque ſecundum juris fictionem. *l. ſi ita legatum. D. de legat. 3. l. 35. §. rerum. D. de hæred. inſtituend. Barboſ. ad tit. D. de judic. in l. hæres abſens. §. proinde. artic. de foro ratione rei ſitæ. p. mihi. 490. diſſ. ex parte Chaſſan. ad Burgund. rubric. 9. §. 16. textus eſt tam in mobilibus.* qui nihil vult intereſſe an mobilia alibi ſint manſura, an alio deferenda. Aliter tamen & alio jure mobilia reguntur, aliter immobilia. Illa enim ſequuntur morem, & conſuetudinem illius civitatis vel municipii, ubi poſſeſſor eorum vel dominus ſedem vel larem fixit ſuarum fortunarum. Nam cum bonorum mobilium non ſit certus & perpetuus ſitus, conditionem

ditionem & domicilium perſonæ ſequentur, cujus oſſibus adhærent. Ut qui perſonæ judex eſt competens, etiam bonorum mobilium judex competens eſſe judicetur: quod non alio jure hæc ipſa, quam perſona habeantur. Eſtque hæc communis practica, ſecundum *Baldum in l. Mercatores. Cod. de commerc. Alexand. 1. conſil. 31. num. 6. Chaſſan. ad Burgund. rubric. 9. §. 16. textus eſt, tant en meubles. Imbert. in Enchiridio. verb. bonorum differentiam. Wameſ. 5. conſil.* 82. *num.* 17. *Peck.* 4. *de teſtam. conjug.* 35. *num. fin.*

Hinc judicant DD. ſi clericus fuerit condemnatus in foro Eccleſiaſtico, ejus mobilia non cedere fiſco temporali, ſed Epiſcopo, cui clericus ſuberat, ut & ejus bona ſubeſſe debuerint. Poſt *Oldradum conſil.* 17. *Boër. ad conſuet. Bituricenſ. tit. de juriſdict.* §. 2. *Peck. de teſtam. conjug. libr.* 4. *cap.* 35. *in fin. vid. mea in libr. de Statutor. Concurſ. ſect.* 4. *cap.* 2. *num.* 8.

Regulam tamen allegatam ita proponit *Imbertus*, mobilia plerumque & regulariter, perſonæ regi legibus, id eſt, ubi perſona domicilium habet. Quoniam quandoque aliter evenit in caſibus à regula traditâ exceptis.

Quid ſi enim mobilia trahantur ab immo-

mobilibus, tanquam à dignioribus, vel ut majoris partis acceſſio? Immobilium lege regi debebunt. *arg. l.* 24. *D. de contrah. empt. Tiraquell. de retractu gentilit.* §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 82.

Quid ſi perpetui uſus gratiâ ex deſtinatione patrisfamilias in uno loco remanere debeant, id eſt fundi vel ædium uſui perpetuo ſint addicta? Pro immobilibus habebuntur, ut ibi eſſe videantur, ubi res principalis eſt ſita, cujus ſunt acceſſorium. *l.* 3. *D. de diverſ. & tempor. præſcript.*

Quid ſi de moribus arreſto fuerint detenta, etiam ibi ubi tranſvehuntur? Ibi eſſe judicabuntur, ubi detinentur, licet poſſeſſor alibi fuerit & domicilium habeat. *Peckius. de jure ſiſtend.*

Quid ſi ſtatuto fuerit cautum, ut mobilia ibi eſſe intelligantur, ubi poſſeſſor ſupremum diem clauſit? Suſtinebitur ſtatutum, quia tantum poteſt, ſi non plus, quantum voluntas vel deſtinatio hominis, per jura vulgata apud *Vaz. Barboſ. Princip. & loc. comm. ad litt. A. num.* 195. 196. *vid. Groenw. ad Grotium introd. juris Holland. part.* 26. *libr.* 2. *in fin. mea de Statutor. Concurſ. ibique DD.*

Ita ſecundum ſtatuta antiquiora Hollandorum, jus Aeſdonicum appellant, ration

tione ſucceſſionis ab inteſtato bona mobilia non diriguntur ſecundum morem domicilii ejus qui defungitur, verum ſecundum loci conſuetudinem, ubi ſupremum diem clauſit de cujus ſucceſſione reſpectu mobilium quæritur. *Grot. introduct. jur. Holland. libr. 2. part. 26. Groenweg. in not. ibid.*

Etiam de jure Romano in concurſu, quo quis duobus in locis eſſe cenſebatur, vel ſaltem duplex locus ſpectabatur, & domicilii, & originis, potior erat originis quam domicilii ratio. Ut cum illic potiſſimum eſſe intelligeretur, etiam ſecundum legem illius regionis de mobilibus judicaretur. *l. cum ſatis. in princ. Cod. de Agricol. & Cenſit. Boër. deciſ.* 13. *num.* 49. *Barboſ. ad l.* 19. §. *proinde. artic. de foro competenti ratione originis. num.* 36. *D. de judic.*

Dixi de jure civili rem ita ſeſe habere, quoniam de generali conſuetudine, etiam originis locus cenſetur amiſſus ſimul atque quis eum per annum & diem deſeruit, & animo figendi domicilii alibi habitavit. Ut ſi in duobus locis domicilium habuerit, alterum alteri non ſit prævaliturum; adeoque utriuſque judex loci merito de mobilibus diſponat, quæ in ſuo reperit, ſecundum ſui territorii leges vid. *Barboſ. ad d. l.* 19. *d. loc. D. de judic.*

2. Quid

2. Quid ſi agatur de bonorum mobilium confiſcatione? Forte nonniſi ea mobilia publicabuntur, quæ ibi reperiuntur, ubi judex eſt confiſcationis; ut quæ ibi non ſunt, capiat illius loci judex ubi deprehenduntur. Quod ſtricto jure veriſſimum eſt, quando plures judices uni ſupremo non parent. *Alex.* 1. *conſil.* 31. *Clarus* 5. *ſent.* §. *fin. quæſt.* 73. *verb. ſed hic quærit. Burſatus conſil.* 43. *num.* 12. *Anton. Peregrinus de jure fiſci libr.* 5. *tit.* 1. *num.* 141. *Chaſſan. ad Burgund.* §. 16. *num.* 32. *Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 4.

3. Verùm quoniam immobilium certus & perpetuus eſt ſitus, indiſtinctè lege & ſtatuto loci reguntur, ubi ſita ſunt; adeoque ex ſui ſimilibus cenſentur. Ut propterea judex in cujus territorio non jacent, ſe iis non immiſceat. *DD. ad l.* 1. *Cod. de Summ. Trinitat. Baldus in l. mercatores.* 4. *num.* 2. *Cod. de Commerc. & Mercat. Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ. libr.* 1. *tit.* 1. *num.* 4. *Burgund. ad conſuet. Flandr. tract.* 6. 7. *Vincent. Carocius de excuſ. bonor. quæſt.* 14. *decima quæſt. princ. num.* 14. *Matth. Weſemb. conſil.* 329. *num.* 18. 19. *Wameſ.* 5. *conſil.* 82. *num. fin. Hering. quæſt.* 8. *de Molendin. num.* 71. *Sand.* 4. *tit.* 1. *defin.* 14. *& tit.* 8. *def.* 7. *& libr.* 2. *tit.* 5. *def.* 109. *Chriſtin. ad Me-*

Mechlinienſ. tit. 16. *artic.* 39. *idem vol.* 2. *deciſ.* 59. *& in prælud. ad Mechlin. num.* 53. *Coren obſervat. ſuprem. Curiæ.* 20. *pag.* 77. *Perez. Cod. de teſtament. num.* 22. *Groenweg. ad Grotii introd. juris Holland. part.* 26. *libr.* 2. *in fin.*

4. Quid igitur de feudis quæ nonniſi in immobilibus conſiſtunt, ſtatuendum erit? An idem quod de omnibus immobilibus, in quibus ſolummodo ſpectatur lex & conſuetudo loci, ubi ſunt ſita? Id non videbatur dicendum, quoniam in feudis non tantum ſpectamus locum reſortus, uti barbarè loquuntur, id eſt rei ſitæ, verum etiam forum feudale, (quod fortè in aliâ Provinciâ) in quo omnis feudalis quæſtio regulariter coram ſeniore, & paribus Curiæ ventilari ſolet: ut res diſtinctione videatur eſſe temperanda.

Vel enim ſuper pactis inveſtituræ, ſuper releviis, inter vaſallos eſt contentio, atque tum ſpectabimus leges & conſuetudines in Curiâ Feudali receptas, licet alia forte jura obtineant in territorio ſitus rei feudalis. Quoniam de hiſce quæſtionibus judicamus ſecundum inveſtituræ litteras, ſecundum naturam feudi, etiam in iis admittimus dominum feudi unâ cum paribus. vid. *Schraderum de feud. part.* 10. *ſect.* 2. *num.* 31.

Ut

Ut tamen hæc ipſa etiam ſecundum humanitatem & recepto more admiſſa obſervem, quod aliter de ſtricto jure, dominus feudi nihil juris ſibi poſſit vindicare in rem feudalem nec propalam, nec per conſequentiam, quæ in alterius domini non ſibi ſubjecti territorio jacet. Idque per jura vulgata. *l. fin. D. de juriſdict. ibique DD. ego de Statutor. Concurſ. ſect.* 4. *cap.* 2. *num.* 7. 8.

Vel ſuper ipſâ re feudali, & ſucceſſione teſtamentariâ vel legitimâ contentio erit, veluti utrum marito rectè ſuccedat uxor, & vice verſâ: Atque tum ſpectabimus loci conſuetudinem rei ſitæ, non Curiæ Feudalis alibi conſtitutæ, ubi forte contraria viget conſuetudo. Exempli gratia, ſi bona feudalia in hâc Provinciâ ſita ſint, quæ dependeant ab Hollandiæ Curiâ feudali, ubi dominus feudi cui ibidem debentur relevia habet domicilium; & per Hollandiæ leges maritus bona quæcunque rectè relinquat uxori, & uxor marito: non tamen feuda in hâc Provinciâ jacentia, licet dependeant à Comitatu Hollandiæ, licet ibidem ſit Curia Feudalis, per maritum uxori, vel per uxorem marito, teſtamentariâ diſpoſitione relinqui poterunt, vel per actum inter vivos transferri.

Atque ita in hiſce caſibus, non Judex ſtu-

feudalis cum paribus cognoſcet vel judicabit, verum territorii illius dominus, ubi res eſt ſita, & quidem ſecundum ſui territorii jura, per hactenus relata. *vid. Roſenthal. de feudis cap.* 12. *concluſ.* 2. *num.* 3. *Chriſtin. vol.* 6. *deciſ.* 81. *num.* 2. Ratio deſumenda eſt à regulâ, quod ſtatutum feudale in Curiâ Feudali receptum rem immobilem in alterius coordinati judicis territorio jacentem afficere nequeat, neque ſe extendere extra ſtatuentis territorium. Quæ regula cum ſit generalis, à quâ nuſpiam feudum excipitur, nec illud unquam per concordata, vel aliter exemptum vel exceptum voluerit loci ſitus judex, ut non legibus ſui territorii regeretur, neque etiam nos poterimus feudum excipere. *Ut enim res ſoli patrimoniales pro locorum diverſitate, ubi ſita ſunt, & non ubi defunctus extremum clauſit diem ab inteſtato ſucceſſoribus deferri conſtat: ita etiam in feudis loci ſitus, & non defuncti mors ſpectari debet. Neoſtad. de feud. Hollandici ſucceſſ. cap. penult. num.* 29. vid. *Boërium ad Bituricenſ. tit.* 3. §. 2. *gloſſ.* 2.

Non quia feuda per omnia ad inſtar patrimonialium ſunt redacta, ſicuti perperam ſtatuunt. *Burgund. ad Conſuet. Flandr. tract.* 3. *num.* 18. 19. *Gudelin. de feud. part.* 3. *c.* 1. *num.* 11. *Zypæi not. juris Belgici tit. de*

feu-

feudis. verb. ſucceſſio. ibi: quamvis per mores. Radelant. deciſ. 125. *num.* 29. *Neoſtad. de feud. Holland. cap.* 1. *in fin. Zoeſ. D. de contrahend. empt. num.* 17. quod tantummodo in quibuſdam patrimonialibus comparentur, ut rectius ſcripſere. *Grot. Introduct. Juris Holland. part.* 2. *cap.* 41. *verb.* MAER 15. & 59. *Goris adverſ.* 3. *cap.* 7. *num.* 7. *Sand. de feudis Gelriæ ſumm. cap.* 1. *num.* 3. & *tract.* 2. *tit.* 1. *cap.* 1. *num.* 14. *pag.* 271. *vid. eund. tit.* 2. *tract.* 2. *cap.* 4. *part.* 1. *num.* 9. *Groenw. ad libr.* 1. *tit.* 7. *feudor.*

Verum quia feuda æque conſiſtunt in immobilibus, atque fixa & ſtabilia alia bona patrimonialia. Ut quemadmodum hæc ipſa quia immobilia lege loci reguntur, ita etiam feuda quia inter res ſoli referuntur, & nonniſi in immobilibus conſiſtunt, ſecundum legem ſitus ordinari debeant. vid. mea de *Statut. Concurſ. ſect.* 9. *cap.* 1. *num.* 6. 7.

„ Hic tamen à communi ſententiâ ſeceſ-
„ ſum fecit Chriſtinæus, idque reſpectu
„ juris Brabantici, de quo per turbam varii
„ teſtes auditi ad petitionem Dominæ Jo-
„ hannæ Tranſilvaen contra Dominum de
„ Merode, unanimiter depoſuerunt, quod
„ ſemper ab antiquo tenuerint, audiverint-
„ que teneri & adhuc teneant pro notorio,

„ quod

„ quod bona feudalia in ſucceſſione regu-
„ lentur juxta conſuetudinem Curiæ loci-
„ que, unde in feudum tenentur, & ubi
„ forum ſortiuntur. Nullo habito reſpectu
„ ad conſuetudines juraque feudalia loci
„ ubi bona ſita ſunt. *Chriſtin. 6. deciſ.* 48. *n.* 6. 7. vid. *Boër. ad Bituricenſ. tit.* 3. §. 2. *gloſſ.* 2. *Chaſſan. ad Burgund. rubric.* 3. §. 7. *de feud. in textu* 1. *& ſecundum ipſius naturam. num.* 2. etiam dubitanter.

6. Ratio poſtremæ à me datæ differentiæ inter mobilia & immobilia intercedentis, quod illa legibus domicilii poſſeſſoris, hæc jure & conſuetudine loci ſitus regantur, non aliunde quam à loco videtur eſſe deſumenda: quod aliter mobilia aliter immobilia in loco eſſe judicentur. Hæc enim perpetuo, ſaltem regulariter & ſecundum communem naturæ legem ſuum locum ſervant; illa quoniam de loco in locum facile transferri poſſunt, etiam transferuntur, quandoque locum mutant. Hæc ſoli ſunt, vel ſolo cohærent, vel ei quod ſolo inædificatum eſt, adhærent; illa cum perſonâ tranſeunt tranſlato ejuſdem domicilio, & ſecundum juris intellectum perſonam comitantur, ut certo loco non ſint affixa. Hæc ibi eſſe intelliguntur, ubi revera ſunt; illa ubi poſſeſſor domicilium habet, licet

alio

alio loco reperiantur. *l. ſi fideicommiſſum.* 50. §. 1. *verb. cum non loci ſit. D. de judic. l. Gajus. D. de leg.* 2. *DD. ad l.* 1. *Cod. de Summ. Trinitate. Bald. in l. Mercatores. Cod. de Commerc. & Mercator. Tiraquell. de retract. gentilit.* §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 10. *& ſeqq. Chaſſan. ad Burgund. rubric.* 9. §. 16. *verb. tant en meubles. num.* 1. 2. *Peck. de teſtament. conjug. libr.* 4. *cap.* 35. *num.* 7. *Giurba ad Conſtit. Senatus Meſſan. part.* 1. *cap.* 1. *gloſſ.* 2. *num.* 121. *Honded. vol.* 1. *conſil.* 31. *num.* 19.

7. Verum quia non una circa hanc rationem ſupereſt difficultas, paulo prolixius explicaturus ſum, quis ſit immobilium locus, vel ubi ea ſita eſſe dicantur, dein quis mobilium ſitus eſſe judicetur.

Immobilia regulariter non niſi unum habere ſitum, vel ex eo manifeſtum eſt, quod de loco in locum non transferantur, quod ſtabilia ſint corpora, & non alia, uti dictum circa ea ſpectetur lex vel conſuetudo, quam ejus loci, ubi jacent, qui nonniſi unicus. *Cyn. Bartol. & DD. ad l.* 1. *Cod. de Summ. Trinit. Gail.* 2. *obſervat.* 124. *Everhard. conſil.* 185. *Matthias Weſembec. conſil.* 135. *num.* 26. *Peckius.* 4. *de teſtam. conjug.* 36. *num.* 4.

8. Unde ſi condemnati bona immobilia per

per ſententiam judicis, fiſco fuerint addiċta, non omnia quæ habuit immobilia condemnatus ad Theſaurarium judicis confiſcantis pervenient, quod quæ alibi ſita, fiſco applicentur, ſub quo ſita reperiuntur. *Bartol. in l. tutores qui poſt.* §. *hares. D. de adminiſtr. tutor. Caſtrenſ. conſil.* 48. *Alexand.* 1. *conſil.* 31. *&* 4. *conſil.* 93. *l. interdum.* §. *iidem autem. D. de publican. apud Peregrin. de jure fiſci libr.* 5. *tit.* 1. *num.* 141.

9. Quod ſi de ſucceſſione ex teſtamento vel ab inteſtato in bona immobilia difficultates incidant, dum forte ſtatutorum variantium eſt concurſus, in ſingula immobilia ſuccedet qui inſpeċto ſtatuto ejus loci, ubi ſita ſunt immobilia ſuccedere poterat, licet aliter obtineat vel in loco domicilii defunċti, vel domicilii ſucceſſoris. Id quod de generali conſuetudine extra omnem dubitationem eſt conſtitutum, adeoque per rerum perpetuo ſimiliter judicatarum auċtoritatem in legem tranſivit. Certum indicium ſtatuta ſuas vires extra ſtatuentium territorium non exſerere, niſi quando omnes Statutorum conditores, uni Supremo, vel legi ſupremæ parent, quâ cautum eſt, ut ejus obſervantiam, tanquam caput aliarum legum, & ſtatutorum municipalium ſequantur. *arg.* §. *fin. inſtit. de ſatiſdat. vid.*

Molinaum ad Pariſ. §. 33. *gloſſ.* 1. *num.* 86. *Choppin. de Moribus Pariſ. libr.* 2. *cap.* 5. *num.* 21. *Everhard. conſil.* 206. *num.* 1. *Sand.* 4. *deciſ.* 4. *defin.* 4. *& tit.* 8. *defin.* 7. *Fredericum Sand. de feud. Gelriæ tract. tit.* 3. *cap.* 2. §. 4. *num.* 6. *Neoſtadium de feud. Holland. ſucceſſ. cap.* 6. *num.* 20. *Goris tract.* 2. *adverſar. cap.* 6. *& tract.* 4. §. 12. *Johann. Arnold. Corvini part.* 3. *conſil.* 139. *Juriſconſ. Batav. vid. mea de Statutor. concurſ. ſect.* 9. *cap.* 1. *num.* 3. 4. *ibique DD.*

10. Jure tamen Romano hæc aliter ſeſe habebant, quod omnes Romani cives, omnes Provinciæ, omnia in Provinciis municipia, uni Imperatori ſubeſſe cogebantur, ejuſque leges ſequi; adeo ut lex municipalis nihil unquam valeat adverſus juſſa Superioris. *Generalia enim ſunt Principis reſcripta; & oportet Imperialia ſtatuta ſuam vim obtinere & in omni loco valere*, uti loquitur *Ulpianus in l.* 3. §. 5. *D. de ſepulchro violato.* Hinc ſi agatur eo jure de ſucceſſione ab inteſtato in res immobiles, iſtæ in univerſum ubicunque fuerant ſitæ, inſuper habitis ſtatutis municipalibus, ad hæredem legitimum pertinebant. *Nov.* 118. *c.* 1. *in fin. verb. hoc obſervando. & c.* 2. 3. *junct. d. l.* 3. §. 5.

11. Dixi, unum eſſe de moribus ſitum

rei

rei immobilis, idque regulariter; accidit tamen quandoque ut præter ſitum naturalem, alibi civiliter eſſe intelligantur: id quod in feudo, re immobili quodammodo evenire ſolet. Nam ſi contentio fuerit de re ipſâ feudali, judex ſitus naturalis pro competenti habebitur. *Roſenthal. de feudis cap.* 12, *concluſ.* 2. *num.* 3. *Chriſtin.* 6. *deciſ.* 81. *num.* 2.

Si de jure feudali, juramento fidelitatis, homagii uti loquuntur præſtatione, inveſtituræ formâ, releviis, pactis inveſtituræ quæſtio incidat, Curia Feudalis eſt locus ubi feudum eſt civiliter. vid. *Schrader. de feud. part.* 10. *ſect.* 2. *num.* 31. *Grot.* 2. *libr. introd. juris Holland. part.* 41. *in fin. Sand. de feud. Gelriæ. part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 7. *num.* 47.

Quod ſi ſpectemus executionem eam faciet judex feudalis; modo ubi naturaliter feudum ſitum eſt, habeat juriſdictionem; adeoque concurrat locus feudi naturalis & civilis. Unde ſi imperio deſtituatur in loco naturali feudi, dominus territorii, (quem locum reſortus barbare appellant, quia ibi feudum jacet, id eſt intra limites illius imperii ſitum eſt) requiſitus ſententiam in Curiâ Feudali latam executioni mandabit. Quo ſenſu feudum ſitum eſſe dicetur in lo-

co ubi jacet, non ubi quandoque eſſe intelligitur, qui locus erat Curiæ Feudalis. vid. *Sand. de feud. Gelriæ part. fin. cap. fin.*

Denique ſi miſſionem in bonorum feudalium poſſeſſionem examinemus, dicendum videtur ſecundum communem regulam hic eſſe procedendum, ut ea duntaxat ſit poſtulanda à judice loci, qui imperium & juriſdictionem habet, ubi feudum ſitum habet naturalem. *l. cùm unus.* 12. §. 1. *D. de rebus auctorit. judic. poſſid. l.* 5. §. *miſſus.* 27. *D. ut in poſſeſſ. legator. Bartol. Caſtrenſ. in l. unic. Cod. ubi de hæred. vid. Burgund. tract.* 3. *num.* 8. *& ſeqq. Freder. Sand. de feud. Gelriæ tract.* 3. *cap.* 1. §. 3. *Chriſtin. volum.* 6. *deciſ.* 48.

12. Supereſt ut de loco, vel ſitu mobilium quæ loco non adhærent, pauca in medium proferam, quæ ſicuti loco non circumſcribuntur, ita facile locum priorem deſerunt, vel mutant. *l. Gajus. D. de leg.* 2. *l. mercatores. Cod. de commerc. & mercator. l. fin. verb. incorporale eſt, & ubicunque. Cod. de præſcript. long. tempor. Alexand.* 1. *conſil.* 31. *num.* 11. *Jaſon in l. à divo Pio.* 15. §. *in venditione. num.* 7. 8. *D. de re judicat.* Et ſicuti perſona ſuâ voluntate domicilium alio transfert, ita quandoque perſonam ſequendo mobilia, alibi eſſe judicantur, quam ubi

ubi reverâ ſunt. *Bald. in l. mercatores. Cod. de commerc. & mercator. Gail. 2. obſ. 124. num. 8. Matth. Weſemb. conſil. 271. num. 134. vid. Farinac. Fragm. crimin. part. 1. verb. domicilium. Jacob Schultzen quæſt. Practicab. 39. num. 1. Scheplitz ad Brandenburg. part. 3. tit. 8. in addit. Conſultat. Juriſconſult. Bataviæ part. 3. conſil. 196. num. 1.*

13. Ut mobilia ſecundum juris rationem duplicem locum quandoque admittant. An eo ſenſu, quem agnovere Pontificii, quo unum idemque corpus in duobus locis dicitur eſſe circumſcriptum, vel duo corpora in uno eodemque loco? Minime gentium, cum id ipſum naturæ corporis adverſaretur; adeoque vel ipſis gentilibus viſum fuerit impoſſibile. *Non magis enim quam quis ſtare poteſt in eo loco in quo ego ſto, vel in quo ego ſedeo, alius ſedere*, ſecundum Paulum *Juriſc. in l. 3. §. 5. in fin. D. de adquir. vel admittend. poſſ.* poterit unum idemque corpus in pluribus ſellis eodem tempore ſedere. Id quod eleganter expreſſit *Plautus in Amphitrione Act. 2. ſcen. 1.*

Am. Sceleſtiſſime, audes mihi prædicare id,
Domi te eſſe nunc, qui hic ades? So: vera dico:
Am. Tun' me, verbero, audes herum ludificari?

Tun' id dicere audes, quod nemo unquam homo ante hac
Vidit, nec poteſt fieri, tempore uno
Homo idem duobus locis ut ſimul ſit.

An potius forenſi modo, quo duplicem locum admittunt mobilia, naturalem & civilem? Illum appello, quem naturaliter tenent, ſecundum quem ibidem ubi ſunt, eſſe dicuntur. Hunc ſecundum quem alicubi eſſe judicantur, ubi tamen reverâ non ſunt, idque ad aliquem juris effectum.

Et quidem modo poſteriori dupliciter in loco eſſe intelliguntur. Vel ratione deſtinationis patrisfamilias, qui rem mobilem ibi haberi voluit, ubi jam forte non eſt. *l.* 35. §. 3. *D. de hæredibus inſtituend. Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 32. *Johann. Arnold. Corvinus conſ.* 138. *part.* 3. *conſil. JCC. Bataviæ.* vel ratione domicilii, quod habet poſſeſſor, vel defunctus habuit, de cujus bonis agitur.

Cum enim mobilia loco non circumſcribantur, ſed non aliter atque actiones perſonales oſſibus perſonæ adhæreant, penes dominum eſſe creduntur, & quidem in eo loco, in quo domicilium habet, vel habuit cum moreretur. *Argum.* §. 1. *ibique DD. inſtit. de action. l.* 5. §. 1. *D. de requir. reis. l.* 3. *in princ. D. pro ſocio. Alexand.* 1. *conſil.*

31.

31. *& 6. conſil.* 19. *Bartol. Cynus, Salicet. ad l.* 1. *Cod. de Sum. trinit. Matth. Weſembec. conſil.* 106. *de Geradâ. num.* 20. *& conſil.* 135. *num.* 26. *& conſil.* 235. *num.* 235. *num.* 28. *conſil.* 237. *num.* 54. *Modeſtin. Piſtor.* 1. *volum.* 31. *num.* 51.

Unde ſi agatur de mobilibus in ordine ad jus ſucceſſionis & bonorum delationis, ſequemur mobilium contemplatione locum ubi teſtator domicilium habuit. *DD. alleg. & Colerus. de proceſſ. executiv. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 240.

Idem quod ſtatuendum ſecundum DD. ſi de collectis indicendis agatur: nam mobilia ſequentur illius domicilium à quo collectæ exiguntur, licet alibi naturalem ſitum habeant. *Petrus Antibolus de muner. ſecund. part. princip. de mod. muner. num.* 12.

Hoc ipſum admittunt DD. plerique in bonorum confiſcationibus, ut mobilia omnia fiſco illius territorii addicta cenſeantur, ubi qui confiſcationem patitur bonorum domicilium fovebat. *l.* 1. 5. §. 1. *D. de requir. reis. c.* 1. §. *ſi vero. de pac. tenend. ibique Bald. Alexand. Tiraquell. de jure primogen. quæſt.* 48.

Hinc etiam extra judicis confiſcantis territorium ſita mobilia, venire debent, & pretium per judicem confiſcantem appli-

cari

cari fiſco. *d. l.* 5. §. 1. *D. de requir. reis. Bald. in l. Mercatores. Cod. de commerc. & mercat. Alexand.* 1. *conſil.* 16. & 4. *conſil.* 92.

Quod etſi verum eo caſu, quo omnes judices qui bona fiſco addicunt, uni ſupremo parent; ut propterea de jure Romano non fuerit dubitandum. *d. l.* 5. §. 1. non tamen idem de moribus auderem aſſerere, ſi jus ſtrictum introſpiciamus.

Ut potius dicendum ſit, idem multis in locis quod de jure Romano cautum eſt obſervari, verum nonniſi ſecundum jus humanitatis. Eapropter etiam Peregrinus de jure fiſci ſcribens, poſt alios id noluit affirmare, ut in partem contrariam inclinare maluerit. *de jure fiſci. libr.* 5. *tit.* 1. *num.* 141.

Quod ſi agatur de mobilibus contemplatione lucri dotalis, ibi uxoris mobilia eſſe creduntur, non ubi ea degebat, cum nuberet viro, verum ubi maritus domicilium habebat. Quod mulier per matrimonii conditionem in ejus domicilium erat reditura. *l. exigere.* 65. *D. de judic. ibique DD.*

Unde ſi mobilia uxoris in diverſis Provinciis reperiantur, ubi variantia ſunt ſtatuta, reſpici debebit loci ſtatutum ubi domicilium fovet maritus, neglecto priori domicilio uxoris & ſitus bonorum naturalis. *argum. d. l.* 65. *D. de jure dot. Rauch.*

part.

part. 1. *quæſt. jur. civil. & Saxon. quæſt.* 17. *Hartmann. Piſtor. obſervat.* 55. *num.* 4. *Wameſ.* 5. *conſil.* 82. Quod ſi aliud fuerit ſtatutum loci originis mariti, aliud domicilii, non illud, verum hoc conſiderabimus; maxime de moribus, quibus vix ullum loci originis ſupereſt veſtigium. *DD. in l. cunctos.* 1. *Cod. de Summ. Trinitat.* Dixi in antecesſum.

15. Quid ſi mobilia extra domini vel poſſeſſoris domicilium fuerint collocata, ut ibi perpetuo maneant, vel perpetui uſus gratiâ ad locum vel fundum extra territorium ſint deſtinata? Non ſequentur domini vel poſſeſſoris domicilium, neque ibidem eſſe intelligentur, quod eo caſu pro immobilibus habeantur, adeoque in eo loco reperiantur interpretativè, ubi res illa immobilis ad quam ordinantur ſita eſt. *l.* 3. *D. de diverſ. temporal. præſcript. arg. l.* 7. §. 1. *D. in quibus cauſ. pign. tacitè contrah. vid. Tiraquell. de jure primogen. quæſt.* 48. *Hartmann. Piſtor. obſ.* 55. *num.* 3. *& ſeq. Berlich.* 3. *concluſ.* 29. *num.* 109. *& ſeqq.*

16. Quid ſi agatur de nominibus, & actionibus, habitâ ratione teſtamentariæ vel legitimæ ſucceſſionis? Siquidem pro mobilibus habeantur, idem juris in iis obtinebit ratione loci, quod in cæteris mobilibus,

libus, per ea quæ explicuimus in antecedentibus.

17. Quod ſi de exigendis nominibus fortè inciderit controverſia, quia æs alienum non eſt certi loci nomen, ſed univerſarum facultatum, non lege domicilii creditoris ea regentur, ſed potius lege regionis, in quâ conflatum eſt debitum; *niſi* alius ſit locus in quem deſtinata eſt ſolutio, ut tamen & ille locus contractus cenſeri debeat. *l. contraxiſſe.* 21. *D. de obligat. & action.* Hinc æris alieni lex & ſitus eſſe videbitur, ubi eſt locus contractus, & illi defuncti patrimonio adnumerabitur, ubi iſte contraxit. *arg. l.* 35. *D. de hæred. inſtit. Choppin. libr.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 10.

Niſi tamen oneribus quibuſdam annuis perſolvendis certi loci patrimonium fuerit deſtinatum. *l. ſi fideicommiſſum.* 50. §. *tractatum.* 1. *D. de judic. Choppin. d. loc.* Diſſentiunt alii, qui exiſtimant debitorum nomina in creditorum perſonis reſidere. *vid. l.* 10. 11. 12. *D. de rei vindic. Bartol. Socin.* 2. *vol. conſil.* 180. *Choppin. loc. alleg. & num.* 11.

CAP.

Cap. XXIV.

1. *Omnia noſtra motui & mutationi ſunt obnoxia.*
2. *Hominis voluntate res immobilis fit mobilis.*
3. *Fructus feudorum pro mobilibus habentur.*
4. *Etiam ſæſa, & eruta.*
5. *Etiam fructus pendentes, verum mox à ſolo ſeparandi.*
6. *Solâ hominis voluntate res immobilis eſſe deſinit.*
7. *Naturâ aliquid deſinit eſſe immobile.*
8. *Quandoque arte.*
9. *Quandoque caſu.*
10. *Quandoque legis diſpoſitione.*
11. *Valet argumentum à pacto ad ſtatutum.*

1. ET ſi nullus error ſenſuum mutare naturam poteſt, nulla verborum interpretatio miſcere inter ſe vocabula, nulla voluntas ſingularis aliâ appellatione res ſignificare, vel alia verborum ſigna rebus imponere.

ponere. §. *fin. in fin. inſtit. de legitim. agnator. tutel.* §. 2. *verb. nec enim poterat. inſtit. de uſufruct. l.* 1. *D. de legat.* 1. Quia tamen omnis noſter ſtatus, quaſi ſub perpetuo motu conſtitutus eſt, nihilque adeo firmum vel ſtabile quod non aliquam patiatur varietatem. *nov.* 7. *cap.* 2. *in princ.* Ea propter etiam quod in ſe eſt immobile, vel ad aliquem juris effectum, mutatis rerum vicibus, alteratis quibuſdam circumſtantiis, immobile eſſe deſinit, vel ad aliquem juris effectum, in ordinem mobilium adſciſcitur.

Id quod evenit vel hominis voluntate, vel naturâ, vel arte, vel caſu, vel legis diſpoſitione.

2. Hominis voluntate, ſi quando quod erat conjunctum rei immobili, ab eo ſeparatur, ut tamen nonnunquam interveniat hominis factum. Ita qui fructus erant pendentes, adeoque pars ſoli, ſi quando à ſolo ſeparantur mobilium ſequuntur naturam, & immobilium ordini eximuntur: nam citra alias circumſtantias, citra læſionem corporis moveri poterunt, etiam moventur, deque loco in locum transferuntur. *l.* 44. *D. de rei vindic. l.* 12. *l.* 17. *D. de action. empt. l.* 5. §. 2. *D. de requirend. vel abſent. damnand.*

3. Hinc licet feudum unà cum fructibus

res

res erat immobilis, ut tamen feudi fructus tanquam ſeparata corpora conſiderantur, per Magiſtratus vel judices fiſco addicuntur, & ſalvo feudi dominio, in executione vel aliter per Commiſſarios divenduntur, nondum diſtracto corpore feudali. *vid. Molin. ad Conſuet. Pariſ.* §. 6. *gloſſ.* 5. *num.* 3. *Gothefred. ad d. l.* 5. §. 2.

4. Quod de fructibus eſt expreſſum, idem applicandum iis omnibus quæ fructibus accenſentur, ut eſt ſylva cædua, ſi cædatur; lapides, marmora ſi è lapicidinis exſcindantur, metalla ſi è venis metallicis eruantur, vel ſeparentur à ſolo. *arg. l. fructus* 7. §. *ſi vir in fundo.* 13. *D. de ſolut. matrim. Coler. part.* 2. *deciſ.* 59. *Berlich.* 3. *concluſ.* 30. *num.* 19.

5. Quinimo licet fructus, quæque fructibus comparantur, nondum à ſolo fuerint ſeparati, ſi tamen mox ſeparandi, mobilibus adjudicabuntur. Ut enim multa in jure ſunt paria, quorum nomine cingendus pro cincto habetur, & in quibuſdam caſibus ſponſa pro uxore; factum vel in proximo faciendum; ſententiam eſſe latam, vel eſſe concluſum in causâ; aliquem eſſe condemnatum, vel ex proceſſu apparere ipſum eſſe condemnandum; aliquid jam eſſe, vel de proximo ſperari. *l. ſi rem.* §. *fin. D. de Evi-*
ction.

ction. l. quæ pœni. D. de manumiſſ. cap. paſtorales. de cauſ. propriet. & poſſeſſ. l. pen. D. de teſtam. militar. Ita etiam fructus qui jam jam à ſolo ſunt ſeparandi, pro ſeparatis habebuntur ad aliquem mobilium effectum. *Tiraquell. de retract. gentil.* §. 1. *gloſſ.* 7. *num.* 44. *& ſeqq. ibique DD. Vaz. Barboſ. princip. & loci commun. litt. A. num.* 14. *vid. Caſtill. Sotomai. de uſufr. cap.*42. *Bocer. claſſ.* 5. *diſput.* 1. *theſ.* 11.

6. Quandoque etiam hominis voluntate citra ullum factum medium, quod immobile erat mobilium in numerum recipitur. Ita enim quæ res mobilis ſolâ deſtinatione patrisfamilias facta fuerat immobilis ad varios juris effectus, contrariâ deſtinatione mobilis eſſe incipiet. Eſt enim naturale, eodem genere quodque diſſolvere, quo colligatum eſt: ut nudæ deſtinationis effectus, mutatâ deſtinatione tollatur. *l. nihil.* 35. *D. de regul. juris.* Et unaquæque res, ad priſtinam ſuam naturam unde receſſerat, redit facile, *l. ſi unus.* 27. §. *pactus ne peteret. D. de pact. l.* 13. *in princ. D. quibus mod. pign. ſolvit. l. hâc conſultiſſimâ.* 21. §. *ſi quis autem. Cod. de teſtament.* Et ubi materiæ potentia non ſuperatur à forma, mutatâ formâ, ad eam maſſam rem reverti deciſum eſt. *in l.* 7. §. 7. *D. de adquir. rer. domin.*

Jaſon

Jaſon in d. l. ſi unus. 27. num. 5. uſque ad num. 12. Tiraquell. de primogenit. quæſt. 24. num. 7. Cravetta conſil. 135. num. 38. Ludovic. Schrader. tract. feudal. part. 10. ſect. 1. num. 253.

Hinc etiam res deſiit in immobilium numero haberi, quando non amplius ad rem immobilem pertinet, ad quam erat deſtinata. *arg. l. 5. D. de inſtruct. vel inſtrument. legat. l. 3. D. de diverſ. & tempor. præſcription. l. 2. Cod. de rerum & verb. ſignif. vid. Schrader. tract. feudal. part. 3. quæſt. 4. num. 10. & ſeqq.*

Vel quando quæ actio nitebatur hypothecâ, reſoluto jure pignoris rei immobilis, mere perſonalis eſſe incipit. *l. 3. D. de pact. l. 5. 8. D. quibus mod. pign. vel hypothec. ſolvit. ibique DD. l. 2. Cod. de pignor. remiſſ.*

7. Naturâ etiam quandoque rei conditio vel qualitas mutatur, ut ſi citra ullum factum hominis, citra ejuſdem deſtinationem, quæ immobili rei infixa, vel affixa, vel adhærens ab eâ ſeparatur. Quod evenit, quando fructus maturi ſponte decidunt, & novam ſobolem producunt; quando inſula quæ fixa erat, & fundo inhærebat, natatilis eſt facta, ut in flumine quaqua verſum moveatur. *l. pen. §. ſi qua inſula. 2. verb. videamus. D. de adquir. rer. domin.*

&

& per ll. all. in præced. vid. Griphiandrum de inſul. meas diſquiſitiones de inſul. generationibus.

8. Arte nonnunquam etiam quod erat immobile fit mobile; ut ſi molendinum de loco in locum transferatur, ſi machinis ad hoc inventis obeliſcus, vel alia quæ grandis moles, quæ homini viſa fuit immobilis, magnis ſumptibus aliquo deferatur.

9. Caſu quandoque etiam aliquid incipit eſſe mobile, vel ordini mobilium ad aliquem juris effectum annumerari. Quod accidit, ſi molendinum aliter fixum incipiat ſubjici periculo diluvionis aquarum; quo caſu ad aliquem juris effectum pro re mobili habebitur. *Angel. in l. non ſolet. D. de petit. hæred.* Dixi in anterioribus.

Si tignum quod alienis ædibus junctum erat per ſe ſeparatum corpus eſſe incæperit, dum ædificium collapſum eſt vetuſtate, vel dum incendio conflagravit. Ita ut quod antea vindicari non potuit, quia ædificii pars judicabatur, jam per priorem dominum poſſit auferri. §. 30. *inſtit. de rerum diviſ. l. 2. D. de tigno junct.*

Si grandes arbores, quæ erant fundi corpus & pro parte fundi habebantur, vi ventorum vel fulminis ictu radicitus evellantur, vel aliâ quâ vi fatali excidantur. *l. 40. D.*

D. de action. empt. l. ſed ſi meis. 26. §. *arbor. D. de adquirend. rerum domin. ibique Gothefred.* §. 21. *inſtit. de rerum diviſion. Heringius de molendin. quæſt.* 8. *num.* 31.

Si denique actiones, quæ rebus ſtabilibus nitebantur, quæ ſuper rebus immobilibus erant conſtitutæ, ex illis deberi deſinant, ſublato pignore, quia interiit; ut ſolummodo perſonalis ſuperſit actio ad conſequendum debitum, quæ ipſa rei mobili adſcribetur. *l.* 8. *in princ. D. quibus mod. pign. vel hypothec. ſolvit.*

Non aliter atque reditus è re immobili debiti, inſuper obligato hærede ad eorum præſtationem, mobiles eſſe incipiunt, intereunte re immobili. Quoniam ſublato ſubjecto propter quod aliquid dicebatur immobile, etiam non amplius cenſebitur eſſe immobile, & ablatâ causâ, tollitur effectus. *in princ. inſtit. de uſufr. l.* 8. *in princ. D. quibus mod. pign. vel hypothec. ſolvit. vulg. jura apud Vaz. Barboſ. princ. & loc. comm. litt. C. num.* 11.

10. Denique legis diſpoſitione, vel ſtatuto, vel conſuetudine, ad aliquot juris effectus, quod antea pro immobili habebatur, mobilium jure conſtringitur. Ut variantibus locorum ſtatutis, mutato domicilio, ſemper attendendum ſit, quid cu-

juſque loci conſuetudine fuerit receptum.

Nam quod potuit factum hominis, quod deſtinatio patrisfamilias, illud multo magis poterit lex, vel ſtatutum, vel conſuetudo quæ potentior eſt homine. Et cum quicquid poteſt homo, illud habeat ex juris diſpoſitione vel permiſſione, multo magis id efficiet ipſum jus, ſecundum illud tritum: *propter quod unumquodque tale eſt, illud eſt magis tale l. cum aurum.* 19. §. *perveniamus. verb. ſemper. D. de aur. & argent. legat. Auth. multo magis. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Vaz. Barboſ. princ. & loc. comm. litt. P. num.* 68.

11. Quinimo in jure argumentum à pacto ad ſtatutum, à pacto ad conſuetudinem pro valido habetur vix quoquam refragante. Quod autem deſumptum eſt à pacto ad legem, Juriſconſultis non alio ſenſu dicitur invalidum, quam quod plus valeat lex quam pactum, vel alia quæ hominis diſpoſitio. *Everhard. in loc. legal. aliique apud Auguſt. Barboſ. loc. comm. argum. loc.* 81. *num.* 1. 2. 4.

CAP.

Cap. XXV.

1. *Variis modis quod eſt mobile, incipit eſſe immobile.*
2. *Et quidem facto hominis.*
3. *Statuto loci.*
4. *Patrisfamilias deſtinatione.*
5. *Quod fallit in materiâ feudali.*
6. *Surrogatione res deſinit eſſe mobilis.*
7. *Subjecti mobilis itidem mutatione.*
8. *Inſuper eventu.*
9. *Mutatione domicilii.*
10. *Vi fatali.*
11. *Propter prævalentiam.*

1. OMne quod eſt mobile quamdiu ſui corporis & naturæ eſt, etiam per ſe cenſetur, in ſuâ naturâ perſtat, id eſt pro mobili habetur, ut poſt Juriſconſultum ſcribit *Argentræus ad Conſuet. Britann. artic.* 408. *gloſſ.* 2. *num.* 2. Verum non aliter atque Clerici quandoque priſtinum relinquunt ſchema, & ad aliam vitæ formam tranſeunt. *Nov. 6. cap.* 7. etiam nihil ſtabile eſt in rerum naturâ, ſic ut quandoque mu-

tationi ſubjiciatur, teſte Juſtiniano *in l.unic.* §. 18. *Cod. de veter. jure enucl.* ita quæ per ſe mobilia, alterius ordinis idque variis modis eſſe incipiunt. Qui omnes meo judicio ad ſequentia capita non incommodè referri poterunt; ſcil. ad factum hominis, ſtatutum loci, patrisfamilias deſtinationem, ſurrogationem, ſubjecti mutationem, eventum, domicilii mutationem, vim fatalem, & prævalentiam.

2. Facto hominis res mobilis ad ordinem immobilium transfertur, quando corpus mobile alterius corporis immobilis fit pars vel acceſſio, ut per ſe cenſeri deſinat. *l. 3. §. pertinet. D. de vi & de vi armat.* Non aliter enim atque res noſtræ mobiles ſine noſtro facto ad alium delatæ, noſtræ eſſe deſinunt, ut nec jure gentium, nec jure civili à nobis poſſint vindicari propter acceſſionem; quod accidit in gemmâ alterius anulo inſertâ, in brachio alterius ſtatuæ per ferruminationem juncto. *l. 7. D. ad exhibend. l. 23. §. 5. D. de rei vindicat.* ita etiam quæ res noſtra erat mobilis, facto vel noſtro vel alterius, vel etiam naturâ concurrente, mobilis eſſe deſinit.

Id quod in ſpecie evenit, infoſſione, adjectione, vel implantatione vel aliter. §. 30. 31. 32. 33. *inſtit. de rerum diviſ. l. dolia. D.*

de

de contrah. empt. l. fundi. §. *labeo. l. granaria. D. de action. empti. l. Lucius.* §. 2. *D. de leg.* 3. *l. debitor. D. de pignor. l.* 23. §. 5. *D. de rei vindic. Argentr. ad Conſuetud. Brittann. artic.* 408. *gloſſ.* 2. *num.* 3. *Gadd. ad l. Statuæ affixæ.* 245. *D. de verbor. ſignific. poſt Argentraum, Hering. de Molendin. quæſt.* 8.

3. Statuto loci, ſi quando mobilia quædam ad aliquem juris effectum, vel fortè ad omnem juris effectum in ordinem immobilium transferuntur. Sicuti Hollandiæ Ordinum conſtitutione navigium majus ad effectum ſolutionis nummi 40. immobilium jure regitur. Et conſtitutione deciſoriâ noſtrorum Ordinum reditus à Provinciis vel corporibus ſtabilibus debiti, ad illum juris effectum immobilium naturam imitantur, quod inſpectâ ſucceſſione legitimâ vel teſtamentariâ, regantur lege loci ubi eſſe judicantur. Ratio communis eſt, quia quod efficere poteſt conventio privata, vel patrisfamilias deſtinatio, multo magis poterit lex vel ſtatutum, per allegata in ſuperioribus.

4. Patrisfamilias deſtinatione, ſi quando quæ mobilia ſunt ad certum locum ordinantur, ut ibi perpetuo maneant, ſicque uſui fundi deſtinantur, ne ea paterfamilias inde velit exportari. *l. malum.* 242. *verb.*

ſtructuram. D. de verbor. ſignif. arg. l. 3. §. 1. *verb. ſed quia credibile. D. de vino tritic. oleo. l.* 3. *D. de diverſ. & tempor. præſcript. l.* 35. §. 3. *D. de hæred. Inſtit. Choppin. libr.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 31. *Berlich. part.* 3. *concluſ.* 30. *num.* 26. *& ſeqq. Diſſ. hic Argentr. ad Britann. artic.* 408. *gloſſ.* 2. *num.* 4. *quem ſequitur Hering. de Molendin. quæſt.* 8. *num.* 22. Qui caſum *d. l.* 3. quæ agit de mancipio prædio ruſtico deſtinato, ad legis refert poteſtatem ſeu fictionem.

Forte videbitur hic caſus mixtus, quod partim deſtinatio patrisfamilias, qui ſervum huic miniſterio addicit, partim lex, id efficiat. Ut tamen meo judicio deſtinatio prædominetur, adeoque ab eâ tanquam à potiori deſumenda ſit denominatio. *arg. l.* 35. §. 4. *D. de hæred. inſtit. l.* 3. *D. de confirm. tutor.*

Huc referri poterunt tormenta aliaque ad bellicum apparatum neceſſaria, arcis tuendæ gratiâ illata. *Capoll. de ſervit. præd. ruſtic. cap.* 31. *Schraderus de feud. part.* 2. *quæſt.* 4. *num.* 11. *& ſeqq.*

Etiam pecunia præſidii cauſâ repoſita, quæ eo ipſo immobilium jure cenſetur, cum aliter inter res mobiles referatur. Vid. quæ in anteceſſum notavi, *per l. ſi chorus.* 79. §. 1. *D. de leg.* 3. *Gail.* 2. *obſ.* 11. *num.* 8.

Me-

Menoch. 4. præſumpt. 138. *Choppin.* 1. *de Moribus Pariſ. tit.* 1. *num.* 24. *Gedd. ad l.* 93. *num.* 2. 3. *D. de verb. ſignif. Hering. de Molendin. quæſt.* 8. *num.* 21.

Lignum itidem ad ædificii ſtructuram deſtinatum ad varios juris effectus pro re immobili habebitur. Paria enim ſunt aliquid eſſe, vel brevi fore, per allegata in anterioribus; quibus adde *Choppin.* 3. *de Moribus Pariſ. tit.* 2. *num.* 10. *Gedd. ad l. moventium.* 93. *D. de verbor. ſignif. Hering. de Molendin. quæſt.* 8. *num.* 23.

5. Fallit tamen noſtra regula in materiâ feudali, ubi res mobilis vel deſtinatione vel conventione, ſive domini ſive vaſalli, non dabitur in feudum, quod id ipſum naturæ feudi adverſetur; & nemo efficere valeat ne leges habeant locum. *l.* 55. *D. de legat.* 1. nec pacta juri publico contraria admittantur. *l. contra.* 28. *l. jus publicum.* 38. *D. de pact. Bald. Alvarott. ad tit.* 1. §. *ſciendum.* 2. *feud. de feud. cognit. Cujac. ad tit.* 93. *libr.* 4. *feudor.* Exceptiones nihilominus hic aliquas admittit poſt alios *Schraderus tract. feudal. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 9. *& ſeqq.*

6. Surrogatione res definit eſſe mobilis, quando id inſpicitur, in cujus locum ſucceſſit; quod ſurrogatum ſapiat naturam rei, in cujus locum ſurrogatur. *l. ſi cum.* §.

qui

qui injuriarum. D. ſi quis caution. Everhard. in loc. legal. à vi ſurrogat. Vaz. Barboſ. princ. & loc. commun. litt. S. num. 16. Quo ſenſu pecuniam è re immobili dotali confectam, immobilium ordini adſcribunt. *l. cum in fundo. §. ſi fundus. D. de jure dotium. Schurff.* 1. *conſil.* 59. de quibus prolixe actum in antecedentibus.

7. Subjecti mutatione, quando materia vel ſubjectum quo quid nititur, varietatem recipit, vel mutatur. Ita quæ actio, qui reditus erat mobilis, ſi ſuper fundo, vel ædibus conſtituatur, incipiet eſſe immobilis, adeoque è re immobili debebitur, per jura & DD. in anteceſſum allegatos. Quibus adjiciendus eſt *Roſenthal. de feud. cap.* 4. *concluſ.* 5. *num.* 1. *ibique DD. ad litt. B. Schraderus tract. feud. part.* 3. *cap.* 3. *num.* 2. Ratio eſt deſumenda à naturâ adjuncti, quod ſequitur ſtatum & conditionem ſui ſubjecti. *argum. l. ejus artificii. D. de oper. libertor. Vaz. Barboſ. Axiom. & loci comm. litt. A. num.* 11. Et ſicuti materia eſt cauſa accidentis, & jus potentius eſt in causâ, quam in cauſato, ita etiam res naturam ſuæ materiæ ſequetur. *argum. l. digna vox. Cod. de legibus. Wameſ.* 3. *conſil.* 98. *num.* 15.

8. Eventu, ſi quæ res eſt mobilis, forte in

in re immobili, puta fundo vel ædibus reperiatur, ut ad aliquem juris effectum pro immobili habeatur. *l.* 1. §. 6. *verb. plane. l.* 3. §. *pertinet.* 15. *D. de vi & de vi armat. Tiraquell. de retract. gentil. ad fin. tit. num.* 19. *Berlich.* 3. *concluſ.* 30. *num.* 29.

9. Mutatione domicilii, quando quæ res in uno loco pro mobili habetur, in alio loco propter ſtatuta variantia inter immobilia refertur. Ita quæ res mulieris antea judicabatur eſſe in domicilio ejuſdem, ſimulac viro nupta eſt, in mariti domicilio eſſe intelligitur, in quod mulier per matrimonii conditionem ſe recepit. Ut ſi aliud ſit ſtatutum domicilii mariti, ea res quæ mobilis, immobilis eſſe incipiat ſecundum aliquot juris effectus. *l. exigere.* 65. *D. de judic. ibique DD. Choppin.* 2. *de Moribus Pariſ.* 1. *num.* 5.

10. Vi fatali, ſi cruſta vel portio quæpiam terræ, per mare aut per flumen natet, & vel littori, vel ripæ fluminis adjiciatur, vel arbor natans ſolo coaleſcat. Tunc enim rei immobili accedit, & pro parte ejus cenſetur. §. 22. *inſtit. de rerum diviſ. l.* 26. §. *arbor. D. de adquir. rerum dom. vid. Argentr. ad Brittann. tit.* 19. *artic.* 408. *gloſſ.* 2.

11. Denique per prævalentiam, quando minus dignum trahitur à digniori, vel vile

à

à pretioſo, vel quod imbecillius eſt à fortiori, quod potentius. Ita ſi quæ reperiuntur mobilia in hæreditate minoris trahuntur ad immobilia, eorumque ſequuntur conditionem. *argum. l.* 23. §. 4. *D. de rei vindic. l. ſi rem mobilem ibique gloſſ. D. de adquir. poſſeſſ. Weſemb. conſil.* 140. *num.* 23. vid. antecedentia, ubi eam quæſtionem attigi.

Atque ita quæ ſtrictim in libr. de *Statutorum Concurſu* explicueram, paulo latius, & ſicubi obſcurè paulo clarius me propoſuiſſe confido. Si tamen quid amplius poſſit deſiderari, vel quædam occurrant, in quibus lector judicioſus majorem claritatem à me jure merito exigat, monitus lubens ei vel voce vel ſcripto pro ingenii captu, ſatisfecero. Quem interim rogatum velim, ut ſi quæ non adeo elaborata, alteram limam exigant, ea ſuſcipiat, tanquam ab eo profecta, qui Curis Academicis occupatus, exiguum temporis ſpatium iis deſtinaverat.

FINIS.

SUMMARIA TRACTATUS,

DE

NATURA

Mobilium & Immobilium.

CAP. I.

1. *Scopus auctoris indicatur.*
2. *Perſtringitur Tenebrio quiſpiam, & nonnulla vocabula in latinitatem vindicantur.*
3. *Methodus ſervanda proponitur.*

CAP. II.

1. *Quæ ſit generaliſſima* bonorum *acceptio.*
2. *Etiam nomina & actiones ad bona referuntur.*
3. *Rei & bonorum appellatio æque late patent.*
4. *Quæ ſtrictior bonorum appellatio.*
5. *Ea non complectitur feuda.*
6. *Venit tamen emphyteuſis bonorum appellatione.*
7. *Ad effectum oppignorationis feuda non ſunt in bonis.*
8. *Nec omnia quæ ſunt in bonis.*
9. *An merces venales?*
10. *An fideicommiſſa?*

11. *An oratio indefinita æquipolleat univerſali, quæritur?*

12. *Omnium appellatione bonorum an veniant æquè futura atque præſentia?*

13. *Quæ ſit ſtrictiſſima vocabuli* bonorum *acceptio?*

CAP. III.

1. *VAriæ ſunt jure civili bonorum diviſiones; aliæ tamen moribus admiſſæ.*
2. *Quid ſit immobile.*
3. *Immobile qui aliter appelletur.*
4. *Deo rerum mutationes ſubſunt.*
5. *Non legiſlatori terreno.*
6. *Non poteſt Princeps vocabulorum uſum immutare.*
7. *Poterunt tamen ad aliquem juris effectum res inter ſe miſceri, vel exæquari.*

CAP. IV.

1. *QUot modis quædam dicantur immobilia?*
2. *Quædam naturâ vel arte vel acceſſione, ſunt immobilia, ut fundus, ædificium, mola, Torcularia, dolia, columbaria, fructus, arbores.*
3. *Domo divenditâ, an hortus ſit divenditus?*

CAP. V.

1. *MUlta ſunt mobilia, quæ deſtinatione immobilia cenſentur.*
2. *Quæ ad perpetuum habitationis uſum ſunt deſti-*

deſtinata, ædium eſſe judicantur.

3. *Merces in tabernam illatæ, tabernæ adſcribuntur.*

4. *Domo divenditâ, putealia cæteraque divendita videntur.*

5. *Fundo divendito etiam piſces comprehenduntur.*

6. *Vendito vivario etiam divendita ſunt animalia.*

7. *Fundo ſimpliciter legato, dotes prædiorum non debentur.*

8. *Sedilia in templis immobilium jure cenſentur.*

9. *Etiam mobilia viliora, in quantum adhærent immobilibus.*

10. *Machinæ bellicæ arce divenditâ ad emptorem tranſeunt.*

Cap. VI.

1. Q*Uædam* Immobilia *ad omnem juris effectum, licet ſint in ſe* Mobilia.

2. *Quædam* Immobilia *ad aliquem juris effectum.*

3. Mobilia *pupillorum quæ ſervando ſervari poſſunt, immobilibus accenſentur quoad ſolemnia alienationis.*

4. *Idem de dote re mobili mulieris ſtatuendum, quæ ſi ſervando ſervetur, non alienatur à marito.*

5. *Res pretioſæ in ordine ad evictionem duplæ*

pro

pro immobilibus habentur; etiam reſpectu Gentilitii retractus.

6. *Res inſuper pretioſæ divenditæ admittunt reſciſſionis remedium ex* l. 2. Cod. de Reſcind. Vendit.

8. *Supellex reſpectu interdicti* unde vi *domui adſcribitur.*

9. Mancipium ruſticum, *ſicuti prædium cui adſcriptum.*

10. *Mobilia uxoris jure Saxonico ad aliquem juris effectum pro immobilibus habentur.*

CAP. VII.

1. *Quædam nec* mobilia *propriè nec* immobilia, *& tamen reſpectu quorundam juris effectuum immobilium legi ſubjiciuntur.*

2. *Jus colligendi pædagia, jus collectandi, juriſdictio immobilium jure cenſentur.*

3. *Servitutes vario reſpectu ad* immobilia *referuntur.*

4. *Idem de perſonalibus ſervitutibus eſt aſſerendum.*

5. *Diſtinctio ſecundum jus civile videtur adhibenda.*

6. *Pecunia ut quantitas, non ut corpus debet conſiderari.*

7. *Legato immobilium non continetur, licet emptioni prædiorum ſit deſtinata.*

8. *Pecunia ad mutui dationem deſtinata mobilium legato non continetur.*

9. *Nummi minorum ad agrorum comparationem deſtinati, ſunt immobiles.*
10. *Nummi ex immobilibus uxoris percepti, & ad immobilium emptionem deſtinati, ejuſdem juris cum immobilibus cenſentur.*
11. *Eccleſiæ latifundia ſi diſtracta, pretium inde redactum immobile judicabitur.*
12. *Theſaurus forte non adnumerabitur rei immobili.*
13. *Munera itidem publica venalia quandoque immobilium jure reguntur,*
14. *Annui reditus reſpectu executionis in Hollandiâ mobilibus adnumerantur.*
15. *Secundum alium juris effectum in Provinciâ Ultrajectinâ immobilium jure cenſentur.*

CAP. VIII.

1. *Nomina & actiones, proprie loquendo nec mobilibus nec immobilibus adſcribuntur.*
2. *Si bona mobilia & immobilia fiſco ſint addicta, non continebuntur actiones.*
3. *Secundum quoſdam actiones immobilibus adnumerantur.*
4. *Secundum alios mobilibus adſcribuntur.*
5. *Secundum nonnullos quæſtio diſtinctione temperatur.*
6. *Ea rejicitur, & auctoris ſententia proponitur.*

7. *Sunt*

7. *Sunt quædam actiones perſonales, ſed in rem ſcriptæ.*
8. *Actiones in rem mobilem tendentes, mobiles cenſentur.*
9. *Actiones quibus res immobiles ſunt affectæ, pro immobilibus habentur.*
10. *Res pretioſæ pro immobilibus habentur.*
11. *Non ubique hypothecaria, pro immobili cenſetur.*

CAP. IX.

1. *CIrca reditus mores ſingulorum locorum ſunt obſervandi.*
2. *Reditus ſui naturâ nec ſunt mobiles, nec immobiles.*
3. *Stante ſtatuto, quod omnes res ſint mobiles vel immobiles, attamen reditus ſui naturâ conſtituunt tertium bonorum genus.*
4. *Secundum jus Saxonicum reditus dicuntur mobiles.*
5. *Sunt qui reditus omnes immobilibus adnumerant.*
6. *Alii tantum reditus perpetuos pro immobilibus habent.*
7. *Alii reditus annuos ad tempus modicum conſtitutos mobilium legibus comprehendunt.*
8. *Alii omni ſemotâ differentia, eos in mobilium ordinem recipiunt.*
9. *Sententia auctoris profertur; puta, quod reditus perſonales mobilium jure regantur.*

10. *Rèditus perſonales activè & paſſivè comitantur perſonam.*
11. *Per reditus perſonales non præcisè eos intelligimus, qui cum perſonâ extinguuntur.*
12. *Qui cum perſonâ extinguuntur, quandoque ex re immobili deberi poterunt.*
13. *Non etiam illi tantum qui perſonæ ſunt debiti, vel à perſonâ.*
14. *Verum illi intelligendi, qui ratione perſonalis obligationis ſunt debiti.*
15. *Quales etiam ſunt penſiones & mercedes locationum.*
16. *Etiam reditus perſonales à teſtatore relicti.*
17. *Quinimo illi reditus quandoque, qui de fundo certo promiſſi ſunt.*
18. DD. *allegantur, etiam diſſentientes.*
19. *Tollitur objectio.*
20. *Reditus è rebus mobilibus debiti, mobilibus accenſentur.*
21. *Reditus ex immobilibus debiti, pro mobilibus habentur.*
22. *Feudum Cameræ & Cavenæ rei immobili adnumeratur.*
23. *Vectigalia, portoria, guidagia, decimæ, penſiones, canones, ſolaria, ex immobilibus quotannis debita, immobilium lege reguntur.*
24. *Omnes reditus ſuper immobilibus tanquam ſuper hypothecâ conſtituti, immobilium*

T *in*

in ordinem recipiuntur.

25. *Munera quæpiam publica, & ex ærario penſiones ſecundum Choppinum, immobilibus accenſentur.*

Cap. X.

1. *Nonnulli, reditus à Provinciis vel municipiis debitos, immobilibus adſcribunt bonis.*
2. *Sententia eorum rejicitur.*
3. *Regulæ certæ traduntur ut omnis tollatur difficultas.*
4. *Auctor ſententiam quam antea tenuit, magis explicat, & illuſtrat.*
5. *Moribus Hollandiæ reditus Provinciarum mobilium jure reguntur.*

Cap. XI.

1. *Novis caſibus nova ſunt applicandæ deciſiones.*
2. *Ut non ſemper quod novum reprobandum.*
3. *Argumentum vindicatur à nummo quadrageſimo deſumptum.*
4. *Mobilia ad aliquem juris effectum immobilibus comparantur, nec tamen naturam mutant.*

Cap. XII.

1. *Opinio quæ proba non eſt deſerenda.*
2. *Statuta cujuſcunque ſint generis territorium non egrediuntur, niſi ex comitate.*

3. *Ne-*

3. *Neque hac nova vel inſolens eſt ſententia.*
4. *Argumentis ab abſurdo petitis ea ſententia confirmatur.*
5. *Ad cautelam in diſtractione bonorum pupilli quæ extra domicilium ſita ſunt, adhibendum utriuſque judicis decretum.*

CAP. XIII.

1. *Autoris ſententia repetitur.*
2. *Definiuntur ſtatuta realia & perſonalia.*
3. *Statutum quo filiofamilias teſtari permittitur, eſt perſonale.*
4. *Non rectè à ſolo fine ſtatuti denominatio eſt deſumenda.*
5. *Perſonæ habilitas de rigore juris ſe non extendit ad immobilia alibi ſita.*
6. *Ultrajectinum ſtatutum, quo minor annis 16. vel 18. teſtari nequit, extra territorium ſe non extendit.*
7. *Quædam dubia tolluntur.*

CAP. XIV.

1. *Mobile quandoque accipitur pro eo quod mutationi obnoxium eſt.*
2. *Quandoque quod à principio intrinſeco movetur.*
3. *Eſtque duplex.*
4. *Forenſi modo id omne mobile, quod moveri poteſt.*
5. *Quandoque moventium & mobilium appel-*

latione idem ſignificamus.

6. *Strictiſſimè mobilia & ſe moventia opponuntur.*

7. *Mobilia in immobilia, vel vice verſâ non commutantur.*

CAP. XV.

1. *Mobilia ſunt ruta, cæſa, ſi à fundo fuerint ſeparata.*
2. *Inſulæ itidem natatiles ſeu fluctuantes eodem jure cenſentur.*
3. *Sicuti fructus à ſolo ſeparati.*
4. *Piſces etiam cuſtodiæ causâ in piſcinâ conſervati.*
5. *Cæteraque animalia.*
6. *Mobilia ſunt quædam arte facta, ut navis.*
7. *Molendina aquatica.*
8. *Molendina caſtrenſia.*
9. *Res Venales.*
10. *Supellex, cæteraque utenſilia*, &c.

CAP. XVI.

1. *Quædam de ſe non ſunt mobilia, & tamen mobilium jure reguntur.*
2. *Pecunia mobilium appellatione continetur.*
3. *Etiam omne aurum.*
4. *Non tamen auri & argenti appellatione pecunia continetur.*
5. *Sub mobilibus non ſemper nomina & actiones continentur.*
6. *Molendinum fixum, ad aliquem juris effectum pro re mobili habetur.*

7. *Etiam ædificium.*
8. *Res immobilis aliquo caſu in locum rei mobilis ſuccedit.*

Cap. XVII.

1. *Mobilium & immobilium variæ ſunt differentiæ.*
2. *Mobilia facile alienantur.*
3. *Immobilia de moribus piæ cauſa relinqui non poterant citra amortizationem.*
4. *Ratio conſtitutionis redditur.*
5. *Non videtur in Belgio Fœderato ea conſtitutio eſſe in uſu.*
6. *Immobilia quorundam moribus exteris non relinquuntur.*
7. *Peregrini in regno Galliarum de bonis mobilibus ibi repertis non teſtantur.*
8. *Non eadem reſpectu mobilium & immobilium ſuccedendi ratio ubique ſervatur.*
9. *Variæ circa Eccleſiæ bona differentiæ fuere ſervatæ.*
10. *Aliter mobilium, quam immobilium procedit alienatio.*
11. *Quibus caſibus res mobiles Eccleſiæ inſervientes abalienantur.*
12. *Temporalia Eccleſiæ, quæ mobilia, facile alienari poterunt.*
13. *Immobilia non item.*
14. *Varii caſus fuere excepti.*
15. *Quæ ſolemnia ſervanda ſint in immobilium*

lium Eccleſiæ alienatione?

16. *Jure Canonico & moribus noſtris non omnia ea deſiderantur ſolemnia.*

17. *Bona Eccleſiæ non ſunt fiſcalia, vel in fiſcum redacta.*

18. *Bona mobilia, non omnia tamen hoſtibus communicari poterunt.*

19. *Res quæ ſoli ſunt hoſtibus non rectè relinquuntur.*

20. *Res hoſtium adhibitâ diſtinctione nobis poterunt legari.*

21. *Immobilia in Daniæ regno à mobilibus Rex pretio non comparat.*

22. *Aliter reſpectu matrimonii mobilia, aliter immobilia repetuntur, & alienantur.*

23. *Moribus plerorumque locorum prohibita de jure dotium alienatio ſublata eſt.*

24. *Mobilium & immobilium contemplatione conjugalis communionis non eadem eſt ratio.*

25. *De Conſuetudine Saxonicâ maritus non ſuccedit uxori in immobilia, nec quicquam ex iis lucratur.*

26. *Filiæ quorundam moribus in mobilia ſuccedunt & ab immobilibus removentur.*

27. *Apud Siculos fiſcus in immobilia non ſuccedit.*

Cap. XVIII.

1. *Aliter mobilia minorum aliter immobilia diſtrahuntur.*

2. *Aliter etiam hypotheca ſupponuntur, niſi ſint illata, & invecta in prædium urbanum.*
3. *Jure Romano minores quævis bona ſuis relinquunt Curatoribus, moribus non item.*
4. *Plerorumque moribus immobilia relinqui nequeunt.*
5. *Ceſſante ratione conſtitutionis, & ipſa ceſſat.*
6. *Moribus Ultrajectinis ne quidem mobilia relinqui poterunt.*
7. *Caſus juris, ſeu facti ſpecies proponitur.*
8. *Hæres teſtamentarius ad legatorum præſtationem eſt adſtrictus.*
9. *Legitimus hæres legatorum onus non ſuſtinet.*
10. *Si plures ſint hæredes teſtamentarii illi ſolum legata præſtant, qui nominatim ſunt onerati, non cæteri.*
11. *Qui rem certam aufert hæreditariam ex legis diſpoſitione, non tenetur pro ratâ legatorum onus ſubire.*
12. *Hæres citra beneficium inventarii adiens hæreditatem ad omnium legatorum tenetur præſtationem, licet ſine ejuſdem culpâ res quæpiam in hæreditate ſint deperditæ.*
13. *Sibi quis imputare debet, quod nimium credulus.*
14. *Scriptus hæres, cui portio hæreditaria aufertur, nihilominus ſolus præſtandorum legatorum oneri obſtringitur.*

15. *Si*

15. *Si hæreditatis deminutio facto evenerit teſtatoris legatorum fiet deminutio.*

16. *Removentur quædam objectiones.*

CAP. XIX.

1. *Immobilia abſque conſenſu propinquorum apud Saxones alienari non poſſunt.*

2. *Mobilia ab hoſtibus capta de jure civili occupantium fiebant; immobilia non item.*

3. *Mobilia de moribus pignori ſupponi poterunt citra ſolemnia, immobilia non item.*

4. *Mobilia ſimpliciter alienantur, immobilia non niſi coram lege loci.*

5. *Idem quod de moribus Saxonum eſt introductum.*

6. *Excipiuntur de moribus quidam caſus.*

7. *Mobilia cum ſuo onere tranſibant jure Romano.*

8. *Moribus tranſeunt ſine ullo onere, ſecus quam obtinet in immobilibus.*

9. *In mobilibus inter creditores ordo non ſervatur, ſecus quam obtinet in immobilibus propter æs alienum diſtractis.*

CAP. XX.

1. *Inter mobilia & immobilia multum intereſt habitâ ratione fideicommiſſorum.*

2. *Aliter res mobilis, aliter res immobilis in dotem datur.*

3. *Aliter res mobilis, aliter res immobilis divenditur.*

4. *Agri*

4. *Agri per modum & menſuram divendi ſolent, non item mobilia.*
5. *Jus retractus gentilitii in immobilibus admittitur.*
6. *Lex* 2. Cod. de reſcind. vendit. *in immobilibus locum habet, in mobilibus non item.*
7. *Aliter in executione rei judicatæ diſtrahuntur mobilia, aliter immobilia.*
8. *Pater tutor vel curator bonorum filii obærati, prius mobilia, dein immobilia divendet.*
9. *Moribus quorundam locorum hæc paulo aliter obtinent.*
10. *Ubi fiat miſſio in immobilia?*
11. *Quæ ratio ineunda in ære alieno perſolvendo, ſi alius ſit mobilium, alius immobilium hæres?*

Cap. XXI.

1. *Facile mobilia amittuntur, immobilia non item.*
2. *Mores Saxonum referuntur.*
3. *Immobilia ut plurimum magis pretioſa, & in quæ cadit affectus major, quam in mobilia.*
4. *Poſſeſſio immobilium aliter atque mobilium amittitur.*
5. *Oblatio verbalis mobilium nullum parit effectum, ſecus quam obtinet ſi immobilia ſint oblata.*

6.

6. *In mobilibus ceſſat interdictum* de vi & de vi armatâ, *quod tantum in immobilibus locum habet.*
7. *In immobilibus locum habet interdictum*, uti poſſidetis, *in mobilibus*, utrubi.
8. *Aliter mobilium aliter immobilium poſſeſſores cavent.*
9. *Aliter jure Romano cavet, qui immobilia capit, quam qui mobilia in caſu certo.*
10. *Aliter cavet in lucris nuptialibus, ſi conſiſtant in mobilibus, aliter ſi in immobilibus.*

CAP. XXII.

1. F*Eudum in rebus immobilibus conſtituitur, quibuſdam caſibus exceptis.*
2. *Etiam emphyteuſis, cui libellarius contractus in multis comparatur.*
3. *Etiam jus ſuperficiarium.*
4. *Servitutes ſolummodo rebus immobilibus inhærent.*

CAP. XXIII.

1. M*Obilia ſequuntur legem loci, ubi dominus habet domicilium.*
2. *Quæ conſuetudo ſervanda circa mobilium confiſcationem?*
3. *Immobilia reguntur lege loci, ubi ſunt ſita.*
4. *Quæ conſuetudo circa feuda ſpectanda?*
5. *Aliter mobilia, aliter immobilia in loco eſſe judicantur.*

6. Ratio

6. *Ratio differentiæ redditur.*
7. *Immobilium locus indicatur.*
8. *Immobilia alibi ſita non applicantur fiſco, ubi quis eſt condemnatus.*
9. *Quoad ſucceſſionem ſequimur locum ſitus immobilium.*
10. *Jure Romano hæc paulo aliter obſervantur.*
11. *Moribus à regulâ antea datâ feudum excipi debebit.*
12. *Mobilia ubi ſita, declaratur.*
13. *Habent ea quandoque duplicem locum.*
14. *Quis ſpectandus ſit locus bonorum mobilium ratione ſucceſſionis, collectarum, confiſcationis, lucri dotalis.*
15. *Quandoque mobilia ſequuntur locum rei immobilis.*
16. *Nomina & actiones locum habent, prout mobilium vel immobilium lege comprehenduntur.*
17. *Quis locus in exigendis nominibus ſpectandus?*

CAP. XXIV.

1. *Omnia noſtra motui & mutationi ſunt obnoxia.*
2. *Hominis voluntate res immobilis fit mobilis.*
3. *Fructus feudorum pro mobilibus habentur.*
4. *Etiam caſa, & eruta.*
5. *Etiam fructus pendentes, verum mox à ſolo ſeparandi.*

6. *Solâ hominis voluntate res immobilis eſſe deſinit.*
7. *Naturâ aliquid deſinit eſſe immobile.*
8. *Quandoque arte.*
9. *Quandoque caſu.*
10. *Quandoque legis diſpoſitione.*
11. *Valet argumentum à pacto ad ſtatutum.*

CAP. XXV.

1. *Variis modis quod eſt mobile, incipit eſſe immobile.*
2. *Et quidem facto hominis.*
3. *Statuto loci.*
4. *Patrisfamilias deſtinatione.*
5. *Quod fallit in materiâ feudali.*
6. *Surrogatione res deſinit eſſe mobilis.*
7. *Subjecti mobilis itidem mutatione.*
8. *Inſuper eventu.*
9. *Mutatione domicilii.*
10. *Vi fatali.*
11. *Propter prævalentiam.*

P

FINIS.

CATALOGUS
LIBRORUM JURIDICORUM
Qui inveniuntur in Bibliopolio FRATRUM T'SERSTEVENS. Bruxellis.

LIB. IN FOLIO.

CORpus Juris Civilis & Canonici gloſſatum cum Indice Stephani Dayoux. Lugduni 1612. 10. vol. Rubro-nigrum.
——— Idem Canonici gloſſ. Pariſ. 1581. 5. vol.
——— Idem Civile cum notis Gothofredi. Pariſ. apud Vitray. 1628. 2. vol.
——— Idem Edit. Lugdun. 1650. 2. vol.
Baldi Ubaldi Lectura. Venet. apud Juntas 1615. 4. vol.
Voet ad Pandectas. Hagæ-com. 1707. 3. vol.
Zoeſius ad Pandectas. Lovan.
Anton. Fabri Rationalia ad Pandectas Coll. Allobr. 1631. 4. vol.
——— ad Codicem. Lugd. 1606.
——— de Conjecturis Juris Civil. Coll. àll. 1615.
Mean ad Jus Civile Leodienſ. Leod. 1670. 3. vol.
Tuldeni Opera omnia ad Inſtituta, Pandectas & Codicem. Lovan. 1702. 4. vol.
Gilkenius ad Codicem. Francof. 1606.
Pereſius ad Codicem. Amſt. 1663.
Mornacius ad Pandectas & Codicem. Pariſ. 1654. 4. v.
Jacobi Menochii Conſilia. Col. 1605. 5. vol.
Corpus Canonicum Gloſſat. Pariſ. 1622. 3. vol.
——— Idem cum not. Pitheorum. Pariſ. 2. vol.
——— Idem Canonicum. Antverp. 1648. Meurs.
——— Idem Canonic. per Lancelottum. Pariſ. 1618.
Repetitiones Juris Canonici. Col. 1618. 5. vol.
Card. de Luca Opera Canonica. Col.
Panormitanus ad Decretales. Ibid. 1617. 4. vol.
Archidiaconus ad Decretales. Venetiis.
Henricus Boic ad Decretales.

Phi-

Philippus Francus ad Decretales. Baſ. 1627.
Zabarella ad Decretales. Venet. apud Juntas 1620. 3. v.
Gonzales Tellez ad Decretales. Francof. 1690. 4. vol.
Guimier Pragmatica Sanctio. Pariſ. 1666.
Zanchez de Matrimonio. Antv. 1620.
A Marca de Concordia Sacerdotii & Imperii. Lipſiæ 1708.
Ant. Auguſtini Epitome Juris Pontificii Veteris Pariſ. 1641.
Salgado de Supplicatione ad Sanctiſſim. Lugd. 1664.
Van Eſpen Jus Eccleſiaſtic. Brux. 1700. 2. vol.
——— Opuſcula Canonica. ibid.
Bengæus & Pinſonius de Benefic. Eccleſiaſt. Par. 1654.
Wameſii Conſilia Canonica. Lov. 1643. 2. vol.
Murga de Beneficiis Eccleſiaſt. Lugd. 1684.
Alteſſerra ad Decretales. Pariſ. 1666.
Zoeſius ad Decretal. Lovan. 1647.
Loterius de re Beneficiaria. Lugd. 1637.
Petrus Barboſa de Soluto Matrimon. ibid. 1668.
Auguſt. Barboſa Tractatus varii. ibid. 1631.
——— de Jure Eccleſiaſt. univerſ. ibid. 1675.
——— de Officio & poteſtat. Epiſcopi. ibid. 1628.
Caroli Molinæi Opera. Pariſ. 4. vol.
Rebuffi Praxis Beneficiaria. ibid. 1599.
Fr. Zypæi Opera omnia Canonica. Ant. 1705. 2. vol.
Pirri Corradi Praxis Diſpenſationum Apoſtolicarum pro utroque foro. Col. 1678.
——— Idem Praxis Beneficiaria. ibid. 1679.
Juſtelli Biblioth. Juris Canonici veteris. Pariſ. 2. vol.
Tamburinus de Jure Abbatum & Abbatiſſar. Lugd. 1650. 2. vol.
Baſil. Pontius de Matrimonio. Brux. 1632.
Pariſius de reſignatione Beneficior. Col. 1615.
Garcias de Beneficiis. Col. 1618.
Argentré ad Conſuetud. Britanniæ. Par. 1640.
Bugnyon de Legibus Abrogatis. Brux.
Chriſtyn ad Conſuet. Bruxellenſ. Brux. 1689.
Pontanus ad Conſ. Bleſenſ. Pariſ. 1676.

Papon

Papon in Conſuetud. Borbonias. Lugd. 1650.
Mevius ad Jus Lubecenſe. Francof. 1679.
Chriſtinæus ad Leges Mechlin. Antv. 1633.

Lib. in Quarto.

Borcholten ad Inſtituta. Lovan. 1646.
Zoeſius ad Inſtituta cum notis Valerii Andr. Lov. 1653
Paulus Buſius ad Pandectas. Daventr. 1646.
Adami Struvii Syntagma Juris Civilis ad Pandectas. Jenæ 1663.
Weſembecius ad Pandectas cum notis Bachovii. Col. Agrip. 1640.
Wiſenbacius ad Pandectas. Franeq. 1653.
Vander Graef Syntagma juris publici. Lugd. Bat. 1645.
Unguepaur Exercitia Juſtinianæa. Jenæ 1662.
Cypriani Regneri ab Ooſterga Cenſura Belgica ad Pandect. & Codic. Ultr. 1669. 3. vol.
Petri Coſtalii Adverſaria Juris. Col. 1652.
Corpus Canonicum. Lugd. 1605. 2. vol.
Cabaſſutii Theoria & Praxis Juris Canon. Lugd. 1678.
Richerius de poteſtate Eccleſiaſt. Col. 1701. 2. vol.
Guiniparus ad Jus Pontificium. Lugd. 1637.
Hiſtoria Juriſdictionis Pontificiæ per Michael. Ronſellum. Par. 1625.
Melchior Paſtor de Beneficiis & Cenſuris Eccleſiaſticis ad uſum utriuſque Fori. Tol. 1605.
Valenſis ad Decretales. Lovanii 1646.
Choquier ad Reg. Cancelar. Apoſt. Col. 1675.
——— de Juriſdictione ordinarii in exemptos. Col. 1684. 3. vol.
Doujati Prænotiones Canon. Par. 1697.
Auguſtin. Barboſæ Collectanea Bullarii Summorum Pontificum. Lugd. 1637.
——— Praxis exigendi penſion. Lugd. 1636.
Valenſis de Beneficiis. Mechl. 1646.
Wameſius de Appellationib. Lovan. 1600.
Rebuffi Praxis Beneficiorum. Col. 1610.
Henrici Caniſii opera Canonica. Lovan. 1649.
Lamb. Goris in Conſuet. Velaviæ. Noviomagi 1645.

Chri-

Chriſtinæus ad Leges Mechlin. Antv. 1645.
Nicol. Goſſon in Conſuet. Atrebat. Antv. 1582.
Heringius de Molendinis. Francof. 1625.
Stockmans opera Juridica. Brux. 1700.

LIB. IN OCTAVO.

Grotius de Jure Belli ac Pacis. Amſt. 1632.
Mullerus in Grotium de Principiis juris naturæ. Jenæ 1632.
Ziglerus in Grotium. Wittenb. 1676.
Imberti Inſtitut. Forenſes & Enchiridion juris ſcripti. Trajecti 1654.
Chokier de Permutatione Beneficiorum.
Binsfeldius de Simonia.
Reincking de Regimine Sæculari & Eccleſiaſt.
Zerola Praxis Epiſcopalis.
Rebuffus de Nominationibus Benefic. 2. vol.
Boëtius Epo de Jure Sacro & Eccleſiaſt. quæſtionum.
——— Antiquitates Eccleſiaſticæ.
Caniſii Summa Juris Canonici.
Medulla Juris Canonici.
Zypæi Jus Pontificium novum.
Gomeſius ad Regulas Cancelariæ Apoſt.
Garcias de Expenſis & Melioratib. Amſt. 1655.
A Someren de jure Repreſentat. Traj. 1676.
Bronkhorſt Centuriæ Sex. ibid. 1705.
Straccha de Aſſecurationibus. Amſt. 1663.
Mozzius de Contractibus. Col. 1623.
Scotani Examen Juridicum. Amſt. 1643.
Pappi Corpus Juris Militaris. Ultraj. 1676.
Burgundus de Evictionibus.
——— de Periculis & Culpis.
——— de duobus Reis.
——— ad Conſuetud. Flandriæ.
Rodenburg de Jure Conjugum.
Paulus Voet de Statutis.
Ayala de jure & Officiis Bellicis, ac diſciplina Militari.
Perezii Erotemata.
Balbus de Preſcriptionibus.

Et plures alii.

Digitized by Google